

R-5317 LAVDES
ILLVSTRISSIMAE
HIERONYMAE COLUMNÆ,
ASCANII COLUMNÆ ET IANÆ
ARAGONIÆ FILIÆ, VARIO GENERE
CARMINVM A DIVERSIS CELEBRATÆ,

OPERA
ADRIANI BURCHII *authoris damnati
opus permissum*
EDITÆ:

Deels: de la Com. de Jesus de Granada. Ant. de Cal.


Cum miscellaneis aliquot eiusdem ADRIANI
BURCHII poematibus.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXXXII.

Ant. de Cal.

25 f. 2



11808160

199

2 500 40 *Stalpa*



R-5317

~~42 de Acton~~ B6

LAVDES
 ILLVSTRISSIMAE
 HIERONYMÆ COLUMNÆ,
 ASCANII COLUMNÆ ET IANÆ
 ARAGONIÆ FILIÆ, VARIO GENERE
 CARMINVM A DIVERSIS CELEBRATÆ,

OPERA

ADRIANI BURCHII *authoris fam nati*

EDITÆ: *opij permijum*

Deel 101: de la Com. de Jesus de Granada. H. de la...

*Cum miscellaneis aliquot eiusdem ADRIANI
 BURCHII poematibus.*



ANTVERPIÆ,
 Ex officina Christophori Plantini.
 M. D. LXXXII.

Recall unclassified

A D R I A N V S
B V R C H I V S
C H R I S T O P H O R O
P L A N T I N O , S . P .



V M ante annos duodecim in celeberrima Academia Patauina studiorum Iuris causa commorarer, amicitiaque ibidem mihi intercessisset cum Octauiano Sâmarco patritio Neapolitano, viro apprimè docto; factum est vt eius rogatu, cum alijs plerisque rei poëticæ amatoribus, carmine luserim Laudes Hieronymæ Columnæ heroidis cum animi, tum corporis dotibus illustrissimæ: fueruntque in eam rem ita propensi illorum, quorum opera requirebatur, animi, vt quidam ex iis Græco, quidam Latino, quidâ demum Italico versu, idè celebrauerint. Opus erat magnum, mihiq. reditu in patriam acceleranti (propter alia nonnulla quæ istinc adferebam) asportatu difficile: Conieci tamen in farcinam, quæ Latina erant. Quæ quidem nuperrimè quasi postliminio quodâ repetenti mihi, quia genium habere, dignaque quæ liberalium artium studiosis cõmunicentur visa sunt, non abs re putauit ad te mittere, vt (si modò placeant) pro singulari tuo (quo ardes) rem literariam iuuandi studio, ea prælo committas. Adieci sub finem ex meis quoque poëmatibus nonnulla, eadem opera lucem visura si digna videantur: sin minus, apud chartaceam tuam supellectilem, aliquem locum habitura. Vale Traiecto ad Rhenum, xvi Ianuarij. CIO IO. LXXXII.

INDEX AVCTORVM.

| | | | |
|-----------------------------|---------|------------------------------|-----|
| A. | | | |
| Antonius Querengus. | 5. | Iosephus Parisianus. | 46. |
| Adamus Fumanus. | 39. | Iohan. Vincentius Sammarcus. | 66. |
| Adrianus Burchius. | 73. | Iohan. Antonius Turcus. | 68. |
| Ambrosius Mediolanensis. | 74. | Iohan. Baptista Arnaldus. | 75. |
| B. | | | |
| Bartholomeus Panciaticus. | 1. | Iohan. Mattheus Thoscanus. | 80. |
| Bernardinus Petrella. | 13. | Iohan. Baptista Ferrarius. | 82. |
| Bernardinus Chrysolphus. | 45. | Iosephus Pedanius. | 68. |
| Bonaventura Gonsaga. | 52. | | |
| Basilius Parauicinus. | 61. | L. | |
| Bernardinus Parthenius. | 62. | Laurus Dragius. | 61. |
| Baldus Bonitemporis. | 65. | Lactantius Arcurus. | 62. |
| Bernardinus Lucatellus. | 67. | Lactantius Parefcinus. | 69. |
| Bernardinus Tomitanus. | 69, 83. | M. | |
| Bartholomeus Lupatus. | 75. | Marius Nifolius. | 39. |
| C. | | M. Antonius Othelius. | 41. |
| Cornelius Frangipanis. | | N. | |
| Cynthius Ia. Bap. Gyraldus. | 53. | Nicasius Ellebodius. | 13. |
| D. | | Nicolaus Stopius. | 15. |
| Donatus Tomitanus. | 4. | Nicolaus Terminus. | 38. |
| Defiderius Lignamiaeus. | 67. | Nicolaus Antho. Giczarellus. | 66. |
| E. | | O. | |
| Elias Coruinus. | 11. | Octavianus Caesar. | 3. |
| F. | | Othelus Othelius. | 9. |
| Fabius Segnius. | 1. | Octavianus Meninus. | 32. |
| Franciscus Robortellus. | 2. | Octavius Bornatus. | 51. |
| Fabius Iordanus. | 25. | P. | |
| Franciscus Sannius. | 72. | Paulus Manucius. | 2. |
| Flavius Anton. Gyraldus. | 73. | Petrus Angelius Bargeus. | 3. |
| H. | | Paulus Pellicia. | 31. |
| Hieronymus Balnenfis. | 2. | Paganus Paganinius. | 44. |
| Hieronymus Bornatus. | 51. | Petrus Bizarrus. | 50. |
| Hieronymus Franfonius. | 74. | Paulus Anselonius. | 77. |
| I. | | S. | |
| Io. Antonius Taygetus. | 8. | Seruilius Grilinzonius. | 4. |
| Iulus Pafinus. | 14. | T. | |
| Iohan. Baptista Arcucius. | 30. | Thomas Gorraa. | 78. |
| Iohan. Marius Verdifottus. | 32. | V. | |
| | | Vincentius Bonannus. | 1. |

FINIS.

BARTHOLOMÆI PANCIATICI.

Est opus Herculeum geminas posuisse Columnas,
 Vt uterius ne quis ducere posset iter:
 Ast opus est superum, solam te velle COLUMNAM,
 Virtutis quo sit limite tutus Amor.

Vt uterius quondam gemina vetuere Columna;
 Vt uterius tu nunc sola COLUMNAM doces.

Forma, genus, splendor, tituli, fortuna, triumphus,
 Sunt tibi ceu nullum Diua COLUMNAM iubar.
 Nam maiora petis; scrutaris Sidera, Cælum,
 Ut possis Solem vincere luminibus.

Sipar virtuti dabitur fortuna, COLUMNAM,
 Quem lustrat Phoebus, iam tuus Orbis erit.

FABII SEGNII.

Quos olim gessit domus alta Columnia honores,
 Quos gerit, et quos per secula cuncta geret:
 In te tunc sola fulgent HIERONYMA; virtus
 Arguit hoc animi, corporis atq; decor.

VINCENTII BONANNI.

Dum spatium fulgens perlustrat candida Cæli
 Hinc HIERONYMA; sic Sidera triste dolent:
 Quid soror in terris Cæli decus usq; moraris,

A Et re-

*Et referas nostras larga, potensq; fores?
Non satis est lumen minus hic si splendet Olympi
Te sine, cur virtus magna COLUMNA cadit?*

HIERONYMI BALNENSIS.

Q*uid mirum athereos si nostri Hieronyma cursus
Tam bene, cum Cælo veneris, ingenio,
Quidue ore omnes si prestas, cum casta Pallas,
Nec tibi quid reliquum fecerit ipsa Venus?*

PAULI MANVTII.

H*esperus atherij longè pulcherrimus orbis
Internitet stellas vagas
Et rosa fragrantis flores tulit inter honorem
Cruore tincta Cypria:
At te feminea decus ò HIERONYMA gentis
Terris dederit Calites.*

FRANCISCI ROBORTELLI.

T*am multos vnus reges laudauit Homerus,
Et longam ex illis texuit Iliadem:
Vnam te multi nunc Diua HIERONYMA laudant,
De te opus & texunt longius Iliade.
Vnus tam multos Reges superauit Homerus:
Una at tu superas multos Hieronyma Homeros.*

Conti-

*Contigit olim vnus multis laudator Homerus,
Ætas hac centum si nostra tulisset Homeros,
Vix te vnā possint satis exornare canendo:
Iliades etenim centenas carmine dulci,
Quale olim multis diuinus scripsit Homerus,
Et si contexant, Musis, Phœboq; volante,
Semper de te multa aliis dicenda supersint.*

PETRI ANGELII BARGÆI.

D*fi tibi nascenti cunctas HIERONYMA dotes
Certatim larga contribuere manu:
Namq; hinc Roma potens, illinc Hispania natam
Innumeris Regum clarat imaginibus.
Ingenij cultus mox accessere supremi,
Quaq; vnā superis antetulisse queant
Ornamenta animi, & pulchra immortalē iuuentæ
Forma decus; quales credimus esse Deas.
Salue igitur Virgo Heroarum certissima proles:
Salue olim Heroas progenitura parens.*

OCTAVIANI CÆSARIS.

L*audibus hanc sacris, sacra celebrate Camœnæ,
Nominē que in sacro fonte vocata sacro est.
Dotibus ingenij doctæ hanc præstare Mineruæ
Concinite, & digna verba stupore loqui.
Huius & insignis forma est cœlestis imago,*

A 2 Et Ve-

Et Venere est, quovis iudice, pulchra magis.
 Moribus hac decorata suis Junone Tonantis
 Coniuge longè esset dignior imperio.
 Quisquis opes optat, formam, ingeniumq̄, necesse est
 Munere pro trino, tres rogare Deas:
 Una sed exoranda mihi, quæ singula, quæ sunt
 His distincta tribus, possidet ipsa simul.

SERVILII GRILLINZONII.

Astrorum varios obitus HIERONYMA, & ortus
 Lustrabat, nitido lumina fixa Polo:
 Cùm blando demissa sono vox clara per auras
 Excidit: ò nostro digna puella choro,
 Parce oculis tentare Deos fulgentibus; ista
 Accendisse homines sit tibi luce satis.

Dum cælum, nostri decus ò HIERONYMA seclì
 Suspicias, & noctis lucida signa legis;
 Lumine victa tuo indignantur sidera, Sole
 Clarius in media nocte micare iubar.

DONATI TOMITANI.
VIATOR, ET PARTHENOPE.

Vi. **C**uivis Parthenope, tam clarã condere molè?
 Cur posita est laribus tanta columna, tuis?
 Pa. Hac sola Ausonia quassos reparabit honores,
 Illustri generis nobilitate sui.

Quo

Vi. Quo fundata solo, firma & tellure manebit?
 Pa. Relligione Deum, moribus atque bonis.
 Vi. Est ne opus Jonium, formatũ aut arte Corinthi?
 Pa. Hoc Latij populis inclyta Roma dedit.
 Vi. Nunquid Mygdonio, pario vel marmore secta?
 Pa. Hec rarum casta simplicitatis opus.
 Vi. Divina quæ facta manu, simulacra tenebit?
 Pa. Pallade cum docta, Cypridis ora Dea.
 Vi. Hinc tibi tot Musis meriti solvantur honores,
 Sebethi ad vitreas prætereuntis aquas.
 Et Graio, & Thusco, Romano & pectine Vates
 Mille tuum posthac nomen ad astra ferent.

CORNELII FRANGIPANIS.

EN, quod diuini pangunt tibi carmina Vates,
 Ut te subducant morti; En tibi gloria surgit,
 Gloria perpetuò latum mansura per orbem.
 O felix proavis, felicibus edita pennis,
 Dotibus ingenij, & felix HIERONYMA forma
 Corporis; ore sacro quam condunt mille poeta.

ANTONII QUÆRENGI.

Quò me precipitem Phæbe rapis tui
 Plenum? quid stimulis pectora feruidis
 Urges indomitus? torreo Edonis
 Qualis Bistonidum iugis

A 3 Ferue-

Feruescit nimio concita Libero.
 Et iam sidereos ocyor alite
 Emensus scopulos, tollor in arduum
 Velox Pieridum nemus.
 Blando hic desiliens murmure, Castalis
 Percurrit vitreis arualiquoribus;
 Cliuosoque cadens tramite, amabileis
 Suadet condere somnulos.
 Jam me non solitis tempora frondibus
 Incinxisse iuuat: porrige barbiton
 Lesboum: incipiam tollere laudibus
 Te mox inclyt a principum
 Proles, Parthenopes filia diuitis:
 At non quod proauum stemmate nobilis
 Sis dicam, aut Tyria munere purpura
 Ortopulchrior Hespero.
 Nam quid te veteris gloria nominis,
 Quod vel serus fber cantet, & ultimus
 Maurus: quod pelagi littus Atlantici,
 Et diues referat Tagus:
 Quid magna innumeris iugera te locis
 Nunc protenta iuuent? araque compede
 Vincta? aut sidereo sole micantia
 Clari lumina verticis?
 Hac quondam gelidis nubibus Africus
 Inuoluens, rapido flamine perferet

Immista aquoreis fluctibus, omnia
 Tollét que aura volubilis.
 Tu freta eximij viribus ingeni
 Insurgis volucris, ceu Iouis armiger
 Ales, Dardaniis qui puerum iugis
 Raptum duxit ad athera.
 Hinc sedes superum vecta volans super,
 Stellantisque poli limen Olympicum,
 Despectas vario quam Vranie mouet
 Ingyrum ordine sidera.
 Et nunc cur stabili lumine Parrhasis
 Nolit se pelago tingere, nunc quibus
 Tellus ponderibus nixa, recumbere
 Possit, despicias ardua.
 Nunc sumens citharam, carmine Sapphico
 Insignis, patrius qua freta personans
 Sebethus repetit, sistere vorticem
 Cantu precipitem doces.
 Qualem Tanariis faucibus Orphea
 Desluisse ferunt funera coniugis;
 Cum mouit facilis corda Proserpinae,
 Immitteisque Erebi Deos.
 Non hac stebilibus condere naniis
 Tentabit tacito seua ruens pede
 Mors: non Oebalio marmore desuper
 Causam gens referet necis.

IO. ANTONII TAYGETI.

Cum formam stolidæ victrix mutasset Arachnes
 Quæ Diva anguicomæ Gorgonis ora gerit,
 Jlius egregias laudes, lætumq; canebat

Pæana, Aonidum voce, manuq; chorus.

Dum mulcent avidas almæ Tritonidis aures

Condita Pieriis carmina docta modis,

Audierat princeps, atq; illa notar at Apollo,

Vt sacræ æternus Palladis esset honor.

Te quoq; quæ vincis Latias HIERONYMA matres

Ore, pudicitia, sanguine, & ingenio,

Nunc mille egregij tollunt, ad sidera vates,

Atq; dicant triplicis plectra canora lyra:

At ne tam clara intereant monumenta, nec unquam

In tenebris valeat mergere longa dies:

Ingenuus iuuenis, doctarum magna sororum

Gloria, spes cultæ maxima Parthenopes,

Hæc mandat libris Octavius, & tua servat

Nomina venturis iure legenda viris.

Tu nunc iucundo sumas placidissima vultus,

Teq; his æternum vivere posse puta.

Pectora cum miror, lætãq; HIERONYMA frõtem,

Et quod ebur roseo candet in ore tibi,

Adde his purpureasque genas, flavosque capillos,

Collaque Riphæa non minus alba nive,

Et cum

Et cum sidereis multos transfigis ocellis,
 Hosque eadem castis moribus excrucias;
 Cumq; per immensi spatii sidera Cali,
 Quidque ferant, fati prospicis ante diem,
 Te tunc Vranien, te tunc ego dicere Phœben
 Cogor, & Jdaliam te reor esse Deam.

Moribus est Pallas, Charis ore, & carmine Musa

Progenies IANÆ regia ARAGONIÆ.

Ergo triplex illi debetur gloria, quando

Quod tria fecerunt Numina, sola facit.

OTHELI OTHELII.

Quis te iam tacitam sinat
 Dignam Cœlicolum vivere in adibus
 Gentis Romuleæ decus,

Illustris soboles nobilis ASCANI,

Prolésque inclyta ARAGONVM?

Quis non dulcisonum pulset eburneo
 Vates pectine barbiton?

Vos ò Pierides, vos Heliconij

Collis, Castalij & lacus

Cultrices, citharam tangite Lesbio

Plectro, & carmine dicite:

Vt forma, & nitor, & virgineus decor

Vincit lamina siderum.

B

Quin

Quin Latonigena progenies Jovis
Summi, Cynthia, & soror

Cedunt: ipsa Venus cedit & aurea,
Mater blanda Cupidinis.

At qua non nitet in pectore candido
Virtus? & pudor, & fides?

Hinc vos ò tenera discite virgines,
Qualis vos deceat decor,

Qualis vos ue nit or splendidior vitro
Axem tollat ad igneum.

Dic ò Calliope, dic mea tibia,
Quàm doctè Æolia lyra,

Et blando fidium hæc carmine concinet
Vincens Pindaricum melos.

Nam vester tenero cœtus ad Aonem
Montem nutrit in sinu: &

Phœbus digna dedit Pierio vt choro,
Insueta caneret fide:

Tum Pallas docuit sacra scientias.
Ergo hinc cantat originem

Rerum, hinc vnde niues, imber, & algidi
Rores: hinc vaga sidera,

Et cur Luna suos compleat ocyor
Orbes, dicit, & aureus

Cur Sol sideream tardior orbitam
Lustret: Sidus Orionis,

Et tri-

Et tristes Hyadas nauita territus
Cur pressus metuat mari:

Et cur continuis Sirius astifer
Terram torreat ignibus.

Felix, que hanc genuit patria, nobilis
Gestis Scipiadam ducum,

Ast & nobilior tūmque beatior
Huius dotibus ingeni.

Nam lumen potuit clarius addere
Una hæc alta COLUMNA, quàm

Quæuis magnanimi gloria Cæsaris.

ELIÆ CORVINI POETÆ LAVREATI.

Immenso veluti voluentia sidera Cælo
Purpureus rustilo vultu longè exuperat Sol;
Aduentūque suo victor premit omnia, toti
Infundens orbi radios, & rebus honorem:
Haud aliter pura virtutum in luce refulges,
Atq; alias meritis omnes Heroidas anteis,
Obscuras umbra inuoluens, ipsamque retexens
Te solam: ò stirpis decus, & lux alma Columna
Ascanij sanguis: nam quis tibi stemmate auito,
Certet? quis ue thori tanto tibi coniuge certet?
Aut non mortali forma, & decore oris honesti.
Sed neq; te generis tantum, sinceræque formæ
Gloria sublimem euexit, pulcherrima quantum

B 2 Illustri

Illustri veniens certatim in corpore virtus.
 Ut cum ver latos viridanti gramine campos
 Vestit, atq; hyemem sub terras condidit ætas;
 Omnia tunc rident, tunc formosissima Tellus;
 Ipse imas inter valles, aut vertice ab alto
 Agricola obtutu sistit defixus, & ipsos
 Miratur pictos plus mille coloribus agros.
 Sic nos virtutum radiantem mille figuris
 Miramur tantum, taciti que exempla tuemur;
 Nec quisquam potis est meritas expromere laudes.
 Quid referam? ut studiis generosis excita mentem
 Ardeat, & rerum semper sublimia verset;
 Utq; eodem inuigilans doctorum carmina vaturn
 (Carmina perpetuam populis prodehntia lucem)
 Diligat, & dulces, Musarum munera, cantus,
 Multarum resonos grato discrimine vocum.
 Aut ut Cœlicolum stellis flammantia regna
 Ingressa Heroïna animis (unde hausimus ortum)
 Miretur, cupiatque abstrusas noscere causas
 Unde polo hyberni properato tramite Soles
 Præcipitent; vel cur breuib; mora noctibus obstet
 Nulla; altè æstiuos Phœbus dum permeat ignes:
 Quid vario dum se cursu septena receperant
 Astra, agitent hominum passim subiecta per arua:
 Quid Phœbi inflexus septeno corpore gyrus:
 Semita quid medio se fundens lactea Olympo:
 Pleiades

Pleiades; Hyades, auroq; armatus Orion:
 Quidue alia igniferos meditentur sparsa per orbes.
 Hæc amat, hæc illi insedit generosa voluptas.
 At vos ô Muse faciles, mea cura fauete,
 Ferte rosas plenis calathis, & lilia cana,
 Spargite humum violis; vestra iam spargite amati:
 Omnes ante alias hæc est dignissima amari,
 Vos etiam blande Charites, quia numine vestro
 Tot pulchras illi dotes, superumq; decorem
 Suffecisse iuuat, vestram defendite porro;
 Indignamque malis prohibete, ut tempora lucis
 Plurima dinumerans semper gratissima surgat;
 Æternumque suis nomen, gentiq; futuræ
 Virtutum æternum specimen pulcherrima linquat.

NICASII ELLEBODII CASLETANI.

Cum tria pastoris cœlestia numina formam
 Cœdei arbitrio supposuere suam:
 Addita tunc si illis HIERONYMA quarta fuisses,
 Dixisset cunctis sensibus attonitus:
 Quamuis mortalis Diuas HIERONYMA vincis
 Quicquid habet illa, nepe COLUMNA tuum est.

BERNARDINI PETRELLÆ.

Quid mire incedas flavis spectanda capillis,
 Quod multus late sit tibi frontis honor;
 B 3 Et quod

Et quod par nitidis oculus pulcherrimus astris
 Fulgeat, unde acer spicula torquet Amor;
 Atque ebur alba manus, collumque, & pectora vincant,
 Inficiat niueas purpura grata genas.
 Adde patrem, & proavos Reges, atque adde parentem,
 Quæ meruit terris ut Dea magna coli:
 Omnia non tamen hæc sunt laudum summa tuarum,
 Non ideo Aonidum te canit ipse chorus:
 At tua quod rerum causas diuina latentem
 Mens aperit, Graiis inuidiosa viris,
 Æmulæque Urania Cæli ingeniosa meatum
 Prospicis, & quidquid sidera quaque ferant;
 Moribus & veteres castis Heroidas aquas,
 Et Pylus roseo manat ab ore lepor.
 Hinc cunctis celebranda venis Hieronyma, & hinc tu
 Quam mulier, potius crederis esse Dea.

IVLII PASINI.

Cum superes animi puro candore columbam,
 Sive columba aliquid purius esse potest;
 Et nitidis valeas oculis exurere corda,
 Illa licet rigeant asperiore gelu,
 Et tua Pactoli veniant sub tecta liquores,
 Ambrosiusque tuo manet ab ore lepos;
 Cum sis præterea antiquæ virtutis imago,
 Et te nobilitas sidera ad alta vehat:

Quis

Quis nisi caelesti delectus ab ordine posset
 Dicendo laudes equiparare tuas?
 Aut igitur superis aliquis mutatur ab oris,
 Aut temet potius magna COLUMNA cane.

NICOLAI STOPII AD
OCTAVIUM SAMMARCVM.

INCultam tantis noli precor, optime, Musam
 Octavi precibus sollicitare meam;
 Jam pridem optat & nam se dedit ægra quieti,
 Et iam languescens semisopita iacet.
 An ne veterosam, longa fore posse quiete
 Fortè times? sed & hæc te neque cura mouet;
 At potius compellit amor virtutis honore,
 Clara Aragona domus, quaque Columna nitent;
 Hoc mihi nunc subolet; quam te mouet ardor honestus,
 Nil equidem toto pulchrius Orbe patet.
 Has cupis à cunctis laudari, & in astra referri;
 Sed vates magnos tam nisi magna decent.
 Hisce, inquam, studiis iam dudum fræna remisi,
 Impetus ille sacer nec mihi corda mouet;
 Quam malè, ut hoc munus mihi cõuenit, ordine toto;
 Languenti & Musa robur abesse, vides?
 Consciens agnosco quam sit mihi curta supellex,
 Quam regat ingenium crassa Minerva meum:
 Fecundos negat è sacro mihi fonte liquores

Calliope-

Calliope, hinc arenæ tenuia labra nimis,
 Nec datur Aonios misero mi ascendere montes,
 Phœbus Apollo obstat, Pallas id alma vetat;
 Nais & accessus prohibet, prohibetque Napæa,
 Hæc montes, undas vendicat illa sibi.
 Hinc mea pertenuis tenues tuba reddere cantus
 Vix valet, hanc nosti plus satis esse rudem.
 Laudatur bene qui latuit, ridetur ut amens
 Qui subeat humeris pondera iniqua suis;
 Si ediderit voces non aptas, culpa redundans
 In te; comminuet, quæ cupis aucta tibi.
 Lumina sunt magni satis omni tenentia Solis
 Fulgida, quæ nec egent luce, nec æquor aqua;
 Lumimibus lumen Solis dat lumina cunctis,
 Fluctibus atq; ipsis fontibus æquor aquas.
 Est virtute datum nil maius maximo in orbe,
 Quem penes illa viget, sunt bona cuncta simul.
 Atq; auro cum sit longè preciosior omni,
 Non est terrenis equiparanda bonis:
 Ex virtute fluit quicquid laudabile in orbe est,
 Cui fauet hæc, aliis non eget ille bonis.
 Sic nec virtuti laudes opus addere laudi,
 Nam numeros omnes unica laudis habet;
 Num ridendus erit media qui luce lucernam
 Sumpserit, is ne oleum perdet, & unâ operam?
 An ne Catonis erit res verè digna cachinno,

Si quis

Si quis perfectis addere quid studeat?
 Virtute æterna nihil est perfectius usquam,
 Non eget externis, quæ dare cuncta potest;
 Omnigena ergo domus virtute & laudis abundans,
 Laudes aut lucem nunquid egere putas?
 Ascanius ne suam satis auxit honore Columnam?
 Idne Aragona facit pulchrè Ioanna nitens?
 Ille viros inter, matres hæc undiq; fulget,
 Progenies Divum, splendor & Italia.
 Testantur vates numeris hoc omnibus, æqui
 Sideribus summis inferuere caput;
 Ast ortum dices ex his illustrius astrum,
 Quod si quid deerat, contulit omne decus;
 Hoc cunctis notum cupis, & super æthera famam,
 Hinc petat ut lumen, lumina si quis amat,
 Magnus ab integro rerum (scio) prodiit ordo,
 A Diis optari nec puto posse magis:
 Quisquis enim totum tenet, illè ne Numine ab alto
 Quid petet hic aliud, sit nisi mentis inops?
 Quandoquidem harmonico nulla ætas intulit orbi,
 Ordine tam pulchro, cuncta decora simul.
 Nam quidquid verè pulchrum & laudabile in unum
 Hic miro ornatu cernere cuique datur,
 Atq; opere in tali Plastes congaudet & ipse,
 Ac Natura parens complacet ipsa sibi;
 Hæc illa est Pandora Deis præchæra supernis,

C

Omnes

Omnes cui larga cuncta dedere manus:
 Singula namq; aliis sua dona dedisse videmus;
 Hac sola in terris unica cuncta tenet;
 Inclyta nobilitas vero hic splendore relucet,
 Virtus illustri sanguine iuncta nitet;
 Hinc sola ex merito cunctis celebranda poetis,
 Responde votis, Phœbe vocate veni;
 Aut tu velle ipsis promptis è cordibus aufer,
 (Nec desiderio triste perire sinas;
 Et tu (si potis es) dignis hanc laudibus orna)
 Vatis aut vires suffice Apollo tuis;
 Hec etenim non est plebeia voce canenda,
 Omnia, quæ laudem sola merentur habens;
 Heroas longè super at virtutibus omnes,
 Alma hic maiestas, & decor omnis adest;
 Quidquid & immensus laudabile protulit orbis
 Andino, aut dignum carmine Mæonio;
 Quæq; opifex rerum summus, solersq; creauit
 Natura in terris, ordine pulchra suo;
 Ipsaq; se virtus, sua & hic miracula pandit,
 Conspicimus magni facta stupenda Dei;
 Depromat quæcunq; valet Polyhymnia cantu,
 Si qua novos vel habet, Musa canora, modos:
 Huc huc, materiam qui dignam laudibus ambit,
 Ingenij vires conferat ille suas;
 Huc huc, cui fama sitis est, potiere petitis,

Si dig-

Si dignam dignis laudibus afficias:
 Quid iuuat in vanis multum exantlare laboris,
 Vana etenim poterunt, quid nisi vana dare?
 Va prauo natis genioq; animoq; sinistro,
 Quæis omnis vita est irrequieta nimis;
 Florum quoniam vocat altercatio cuncta
 In dubium inconstans; hæret ubiq; animus:
 Perpetuis ita & in tenebris versantur inanes,
 Nec quò se vertat mens periniqua capit;
 Sunt aliqui titulo tenus & docti & sapientes,
 Cuncta admirantur, bos, asinusq; lyram.
 Torquati incedunt, erecto ad sidera vultu,
 Mox circumspiciunt num quis eos videat;
 Inter & ipsi asinos hunc credunt pluris haberi.
 Auri qui gestat pondera, quàm paleas;
 Verberibus quamuis obnoxius ac maledictis
 Haud minus ac alij, quos tulit Arcadia:
 O vanas hominum mentes, ò pectora vana,
 Quæ vani nil non, ut videantur, agunt!
 Prælia ranarum mira cum muribus arte
 Fingit hic; interea prædicat ille nucem;
 Miraturq; artem qua exercet aranea stamen,
 In prædam casses tendat ut ipsa suos;
 Bella nefanda alius reperit, tellus ubi dirò
 Phlægra giganteo tincta cruore rubet:
 Sciamachie alius funesta pericla recenset,

C 2

Quæ

Quæ neq. vel summis parceret iniqua viris;
 Prosequitur culicem immensis quoque laudibus alter,
 Defuncto tandem construit & tumulum;
 Qualem non ulli meminit struxisse parentum,
 Sic perit ingeniis improbus hisce labor:
 Singula quid referam? nugis sunt omnia plena,
 Præcipuè his omnis bibliotheca scætet;
 Quò magis quis doctus, magis deditus usq; videtur
 Figmentis, atas sic propè tota ruit;
 His mirè intenti permagna volumina scribunt,
 Sed malè limatum sæpe ita restat opus;
 Lucifugis tacitè sit blattis esca & inertes
 Pascit inutile ut est, turpiter, heu, tineas:
 Parturiunt Luna aduersa fædos quoque abortus
 Perpepsi, dignum luce quid esse putant:
 At mole informi nequeunt inducere formam,
 Quam more vrsarum gignere sæpe solent.
 Hi Lunæ radiis quoque maturefcere botros
 Credunt, pro vino prodit at omphacium.
 Sunt tamen haud pauci, qui se fecisse putarunt
 Quid magni, & dignum laudibus eximiis:
 Complacet atq; in iis sibi sæpe insigniter amens,
 Talia nec desunt qui super astra vehant;
 Ut sese & feles lambunt, ac mutuo inertes
 Muli aliquando scabunt, officiosa cohors:
 Quàm ac foret absatius feles imitari illos,

Qui

Qui excrementa tegunt, ne quis ea inspiciat;
 Arcendi à castis steriles sunt undique Musis,
 Officio incumbant, mulus ut ipse suo:
 Ast manet audendi quia Vatis aqua potestas,
 Cura est figmentis cuncta replere suis;
 Gloriola ducti, seu spe quoque muneris, audent
 Maxima de minimis dicere sæpe viris.
 Hinc inde agglomerant laudes, cumulant & honores,
 Queis sine delectu quemq; onerare volunt;
 Nil bene non dictum si accedant munera larga:
 Si sat nummorum, sat quoque honoris habent:
 Sic se ridendos insulsi sæpe propinant,
 Nam decorando alios dedecoratur iners.
 Turpe onus ergo subit graue nec minus improba lau-
 Si facit ut fama consulat inde sua, (dans
 Namq; reciproca sunt; quisquis præconia laudum
 Fundit, qualia fert iure redire solent.
 Quid magis egregium, quàm dignas promere dignis
 Egregiè laudes, scandere ita alta Poli?
 Quid magis vel fædum, nugas appingere veris,
 Aut capiti humano subdere corpus equi?
 Omni igitur dignus laude est, qui digna decorè
 Laudat, hic in primis concelebrandus erit:
 Haud minus è vitio laudans indigna notatur,
 Iudicijq; expertus, mentis habetur inops.
 Mollia sunt facili qui & fingunt carmina versu,

C 3 Ut ma-

Ut magis delectent, utile & esse putant;
 Contigit at raro egregiis dignam reperire
 Materiam ingenii, qua modo summa datur:
 Quare ubi nunc optata diu, ter maxima venit,
 Huic toti incumbant, omne facessat opus;
 Atque abeant, palpum quicumque obtrudere tentant,
 Non recipit fraudes integer iste locus;
 Hinc omnis cinis, procul hinc absint parasiti,
 Non fuco aut phaleris hæc adeunda domus;
 Non petit artifices, mendaci aut arte peritos,
 Sed verè ingenuos, queis nisi vera placent;
 Si cui cura fuit studio atrectare profana
 Abluat is viuo flumine turpe nefas;
 Deinde gradus ferat huc, puris quoque pura decenter
 Pertractet manibus, fama perennis erit:
 Nam naturali resplendent cuncta nitore,
 Exulat hinc quidquid finxit iniqua manus;
 Phœbe decus summum, iuuat hic quia vera referre,
 Adsis, Pierij gloria prima chori:
 Huc huc accurrant, queis viuuda gloria cordi est,
 Queis placet & studium, Pegasidumque mora;
 Et vos Thespiadum comites, Heliconis alumni,
 Mellisua Anonius queis rigat ora liquor;
 Hic agite, o Vates, tantarum in munere laudum
 Perpetua (datur hic) cingite fronde comas;
 Castalidum lati, duce Phœbo, accedite lymphas,
 Threicias

Threicias decet hic sollicitare fides:
 O quantum Andinus, quantum hic gauderet Achæus
 Vates, Musarum qui decus usque manent;
 Materiam tantis dignam sudoribus essent
 Hic modo sortiti, vera referre iuuat.
 O quam iucundum, quam pulchrum insistere veris,
 Fundere in iis vires nocte dieque suas:
 Sed quis tam genio felici prodiit unquam,
 Cuius unquam fauit docta Minerva viro,
 Posset ut hic minimam vel partem attingere laudum?
 (Pro meritis (inquam) vix vel Apollo potest;)
 Principium posset laudum reperire suarum,
 Addere sed finem tale opus hic labor est:
 Ergo erit omnino virtus tam clara tacenda?
 Absit, at hic omnis se experiatur homo;
 Nemo hic non dicat, dicant magni atque pusilli,
 Nam virtute nihil pulchrius orbis habet;
 Hanc ubi quis Diuam laudat, versatur in alma
 Virtute, hic virtus maxima tota patet;
 Virtutem multi laudarunt nec bene notam,
 Jam viuo in speculo cuique videre datur;
 Huc citus accurrat virtuti dedere sese
 Qui cupit, hic aliud nam nihil inueniet;
 Omnia supremis sunt laudibus afficienda,
 Integritas, candor, forma, perenne decus;
 Præterea tamen hæc placet excellentia summa
 Ingenij,

Ingenij, exuperans quotquot in Orbe vigent;
 Qua disciplinas studio versata per omnes
 Socraticum callet dogma, ita & omne sophos;
 Rite Mathematicas voluit q₃ amplectier artes,
 Astrorum & motus noscere, templa Poli;
 Nempe notata ubi iam circumspicit organa chartis,
 Mente sacra summum cernit & ipsa Iouem;
 Mente sacra, sacrum gerit hinc HIERONYMA nomen
 In terris clarum, sed super aethra magis;
 Nec putet imprudens sacra indita nomina sorte,
 Sed voluisse magis Numina sacra Deum;
 Nominibus sacris ubi sacratissima quaeq₃
 Junxit, quam potius nomina sacra decent?
 Emicat hic sacrosacrata in nomine virtus,
 Perpulchrè & cum re nomina conueniunt;
 Mortales superat virtute HIERONYMA cunctos,
 Hinc super omne tulit nomen in astra suum;
 Obscurat fulgore suo quacunq₃ decora,
 Ut Sol exoriens sidera cuncta fugat;
 Parte ornata ubi sit tantis virtutibus omni,
 Virtutem quis non dixerit esse meram?
 Dicite Pierides, in terras gloria summa
 Virtutum modo descendit ab arce Poli;
 Perpetua imposita est pulchrè redimita Columna,
 Nobile cognomen quod satis iudicio est;
 Hac firma atq₃ immota manens, decus usq₃ decoro

Addit

Addit, versatur cuncta per ora virum:
 Sed quis Pierio fuit unquam percitus aestro
 Posset ut hic dotes concinuisse suas;
 Quae fora, vel statuas caperent, si debita tanta
 Virtuti dignè reddita dona forent?
 Dicite Pegasides, summa est erecta COLUMNA,
 In qua virtutum gloria tota sedet:
 Fama micans implet terras, replet aquora, quidq₃ &
 Flammiuomis rapidus Phœbus oberrat equis;
 Nam Diua hac claro celsum caput aethere cincta
 Cuncta superfulget, vincit & astra Poli;
 Exempla hinc vitæ sunt nobiliora petenda,
 Scandere cui cura est sidera celsa Poli.

FABII IORDANI.

Quò me precipitem rapis
 Musa Apollinis inclyta
 In tonsi soboles? Quid ò,
 Quid me per iuga floridi
 Ductas frondea Pindi?
 Num me Calliope sacrum
 Rursus tendere barbiton
 Cogis: quem paries diu
 Suspensum tenuit vago
 Nunquam pectine tactum?
 Siste ò, quid tripodem paras,

D

Quid

Quid mi tempora Delphica
 Cingis arbore? Jam satis
 Parnassi videor nemus,
 Intactosq; recessus
 Lustrare, & super arduas
 Ferri Castalidum specus:
 Siste ò, sat mea nectare,
 Sat undis Heliconij
 Fontis ora rigasti.
 Iam pulsæ resonant fides,
 Tandem age, ò Dea florida
 Mecum sive sub arbuto:
 Heroamq; COLUMNIAM
 Plectro ritè canamus.
 Salve ò maxima Romula
 Gentis gloria, principum
 Salve altum genus, en sacro
 Noste carmine dicimus,
 Salve ò cura Deorum.
 Salve ò lux Italij nitens,
 Salve orbis novus Hesperus;
 Quæ ingentes referens avos
 Clara hinc stirpe Columnis
 Fulges, inde Aragonum.
 Te mortalibus unicum
 Summus rerum opifex decus

Esse,

Esse, & præsidium dedit:
 Nam nemo est, qui hominum genus
 Tam præsens iuuet usq;
 Tu letas segetes agris,
 Tu densas nemori comas,
 Tu prata herbida sufficis;
 Et quocunq; aditum feras
 Campos floribus ornas.
 Tu irati maris impetus,
 Æstus tu pelagi graves
 Dulci lumine temperas;
 Vel quum fulmina plurima
 Torquet Iuppiter ira.
 Tu noctis tenebras nigra, &
 Celi nubila discutis,
 Tu imbres, & tumidos Notos
 Ventorum, & pluvia potens
 Miti fronte serenas.
 Te morbi fugiunt tua ex-
 Acti vi: te etenim bona
 Valetudo, Salubritasq;
 Et foci, & Venus aurea,
 Gratiaq; sequuntur.
 Tu si pollice tinnulam
 Percurris niueo lyram,
 Vel sermonibus ora re-

D 2

Solvit,

Soluis, vel liquida canens
 Voce carmina dicis:
 Tristes diffugiunt statim
 Cura; quin animam intimo e-
 Labi pectore, & editis
 Sentimus superum choris
 Interesse Deorum.
 Sed quid rebus in arduis
 Virtutem solidam feram?
 Quid in pectore regium
 Inconcusso animum, & malis
 Numquam cedere doctum?
 Quid vel fœmineum supra
 Captum, &, quod careat fide,
 Vtriusq; peritiam
 Linguae, vel Sophiae insitum, &
 Verae laudis amorem?
 Illi haud lucida vespere
 Puro sidera fulserint,
 Nec ille aut nitidum iubar
 Phœbi, aut splendida dixerit
 Plena cornua Luna,
 Qui te sanctum aliquod tuo
 Numen pectore claudere,
 Aut nostri te hominum neget
 Quiddam conditionibus

Maius

Maius ore referre.
 Cui HIERONYMA ceteras
 Sanctis vincere moribus
 Non videris, & aurea
 Forma excellere munere, &
 Doctæ Palladis arte:
 O fœlix ter & amplius
 Hæc quæ te tulit, & palam
 Ætas perfruitur: beati
 Et nos, qui tempore in optimo
 Vita carpinus auras.
 Ergo hæc pro meritis cape
 Tuis debita honoribus;
 Centum, quas tibi perpeti
 Saxo ponimus, & nouo
 Flore spargimus aras.
 Olim munera, & annuos
 Argutis dabimus choros
 Mixtos cantibus, interim
 Salve, ò salve HIERONYMA
 Lux COLUMNIA salve.
 Salve, ò salve iterum Dea
 Ades dextera, & annue
 Votis, quæ tibi supplices
 Templi in limine nuncupans
 Sancti carmine vates.

D 3 IO.

IO. BAPTISTÆ ARCVCI.

Nunc sume blandam Melpomene lyram:
Dicenda nobis est HIERONYMA

COLVMNA vatum firma, vestri
Firmachori Aonides Columna.

Nam si decorum est nascier inclyta
De stirpe quenquam; vix queat altera
Terras per omnes inueniri
Progenie sata clariori.

Vt cui paternum sit genus à sacra
Columniorum gente, Aragoniis
Abregibus materna origo:

Queis nihil extitit Orbe maius.

Siquid venustas oris amabilis,
Ille & iuuenta purpureus nitor
Veram erentur laudis, una
Prænitet hæc aliis puellis:

Qualis Diones filia, maximi
Iouis voluptas, & decus ætheris
Perennæ, Diuas inter omnes
Alma Venus specie refulget.

Sunt ista certè maxima, quis neget?
At una virtus ex Acherontis
Aufert tenebris, una summis
Nos similes facit esse Diuis.

Virtutis olim munere Romulus

Cælum petiuit: fortis & Hercules
Relatus est Diuorum in album
Concilio Jouis approbante.
Æuoq; nostro gentibus omnibus,
Quas ille rexit, collacrymantibus,
Hanc ipsam ob unam Cæli in arcem
Vidimus Austriadem receptum.
Præclara virtus, quam mihi ceteris
Præstat puellis, hæc HIERONYMAM
Vel sola quondam collocabit
Sedibus æthereis COLVMNAM.

PAVLI PELLICIÆ.

Sidereis praceres onerosa hæc mole soluti
Materia, ætherios qui in gyrum vertitis orbes,
Et rerum in lucem varios educitis ortus;
Si quando optat & tanget vos cura quietis,
Aut ad concilium vos mens suprema vocabit:
Ne vestras mentes agitans grauis ulla ruina
Suspicio insolito cogat persistere motu.
Nam magni decus ista orbis formosa COLVMNA,
Quam stupido Natura animo miratur, & altum
Diuum opus agnoscens summissopoplite adorat,
Non ignara Poli, vestri non inscia motus
Orbibus assistet, diuinæque sidera voluet,
Et species rerum æternos seruabit in annos.

IO. MARI VERDIZOTTI.

O Dea nunc Cælo facilis delapsa sereno;
 Atq; ideò nata, ut terras virtute beares;
 Ne refuge ò nostris placidas dare vocibus aures,
 Atq; humiles audire preces; si digna precantis
 Est pietas, & læta lubens huc lumina flecte,
 Et nostros terræ defixos erige sensus.
 Ast ego Diua tuo suffultus numine dignas
 Pro meritis referam dulci tibi carmine laudes.
 Sic mihi post liceat viridi tua cingere laurus
 Templæ piæ, cui tempus edax, cui longa vetustas
 Cedat, & inuidia carpentes omnia morsus.
 Sic tua te virtus, quæ nobis sæcla nouantur
 Aurea, me dicente, tuo sub Numine, claram
 Efficiet, toto & passim cantaberis Orbe.

OCTAVIANI MENINI.

T V licet exoriens veluti Sol aureus orbi,
 Et cinctum radiis caput inter lucida condens
 Sidera, mortaleis longè diuina figura
 Exuperas mentes; seu tu Venus aurea; siue
 Docta patris summi prognata è vertice Pallas
 Lapsa Polo nostra lustras sub imagine terras;
 Seu potius pulchro generata è sanguine Regum,
 Vna tuæ verè alta domus, verè alta COLUMNÆ
 Ausonia, & magni qui terram amplectitur orbis:
 Ne tibi

Ne tibi quas sacri porgunt munuscula Vates
 Dilecti Musis Vates, ne despice Diua;
 Sed placidè accipias oculis, & mente benigna
 Accipias vario contextas carmine laudes.

Qui terras, caliq; oras, atq; æquora ponti
 Lustrat præcinctus flammæ ardente corona,
 Idem etiam cithara dulci crinitus Apollo
 Personat ante Jovem subiungens carmina nervis,
 Et cantu faciles Diuorum distinet aures,
 Idem etiam sacros docuit cecinisse pœtas,
 Et decus æternum claris accendere factis,
 Et docuit cursus frenare volubilis æui.

Horû opus augustû, & centû sublime columnis
 Carminibus templum magnæ extruxisse parenti,
 Et Cælo æquat am duxisse ad sidera molem:
 Horum opus & natam felici æquare parenti.
 Et nunc illa quidem veluti matrona Tonantis
 Incedit Regina Deum, & fulgentibus astris
 Infert se folio insigni, vel qualis ouanti
 Inuehitur curru genitrix Berecynthia Diuum.

Tu quoq; iam totum notesces pulchra per Orbem,
 Jamq; tibi ponent aras, iam carmina dicent
 Qui Tanaimq; Ararimq; bibunt, gelidumq; Coaspem
 Atq; relinquentem celeres post terga sagittas
 Tigrim, & septeno labentem flumine Nilum:
 Nec matutino quisquam sub Sole calenti,

E Sole

Sole vel occiduo vestigia ponet arena,
 Quò nomen, laudesq; tuas, laudesq; tuorum
 Fama coronatis non sit latura quadrigis.

Nam quisquis gaudet puros haurire liquores
 Fontibus, & placido currentem murmure riuum
 Cernere, quã virides texunt umbracula lauri.
 Quisquis amat gelidis Pindi requiesse sub antris,
 Carmine te dulci gaudet celebrare, Columnam
 Iamq; caue resonant valles, iuga celsa Columnam
 Jam resonant, longè aether, longè astra salutant.
 Quis magnos nescit proavos ab origine prima?
 Illustreis animas sacris decora alta futuris?
 Quis nescit longè pugnata ex ordine bella,
 Signaq; captiuasq; urbes, captiuam trementum
 Colla ducum, & ductos Capitolia ad alta triumphos?
 Testis, cum tota labentia flumina terra
 Demissis humiles voluerunt cornibus undas,
 Tybri pater, letos cum mirareris honores,
 Victrices passim aspiciens consurgere lauros;
 Ast alius Paci s; bonæ, templiq; minister
 Sacra feret, canos triplici diademate crines
 Insignis, Diuis nec non & proximus ipsis:
 Hinc alij proceres Tyriis capita alta galæris
 Tecti ibunt, centumque aras ex ordine ponent,
 Centum aris sacros adolebunt ordine odores.
 Salve magna domus, domus ò pulcherrima salve

Fœta

Fœta armis, fœta imperiis, tot fœta trophæis,
 Ausonia columen, magna lux incluta Roma,
 Te diuum, magnique Jouis clementia seruet,
 Donec erunt arces Capitoli, immobile saxum,
 Donec sancta colet Romanus templa sacerdos.

At quibus est cura proprias attingere laudes,
 Vnam te referunt, una es tu carminis author.
 O Dea, vel Deus similis morèsque manúsq;
 Oraq; diuinum ambrosiæ spirantia odorem.
 Vix tibi nascenti primos ostenderat ortus
 Lucifer, emicuit diffuso lumine Calum,
 Tristia in obscuram damnat aq; nubila noctem
 Tartareas petiere domos, squallentia regna,
 Et caligantem super incubuere paludem:
 Restitit at mundi subito felicior ora,
 Seclaque riserunt rigido mutantia ferro
 Molle aurum, & penitus mores oblita priores.

At parte ex alia manibus permutua nexis
 Sancta aderant Charites; non illis lumina torua,
 Non facies ullas præportans pectoris iras,
 Verum oculi dulces, & læta frontis honores,
 Et vigor inspirans tacitum in præcordia amorem.
 Hæ tum nectareo corpus sparsere liquore
 Gaudentes placidis contingere leniter vlnis,
 Et molli fouisse sinus; tum labra labellis
 Admouere tuis, queis nunc quoque gratia iuncta est,

E 2 Cale-

Cælestisque anima semper flos dulcis anhelans
Aëra permulcet longè, & mortalia corda.

Nec non & roseo Venus illic astitit ore,
Attulit aureolòsque pedes in limina tecti:
Qualis, cum nubes tempestatèsque sonoras
Disiicit, & pulchros gemmantis veris honores
Euocat è gremio terra omniparentis, & hortis
Hesperidum qualis sero sub vespere sese
Fert tenera illidens felicia graminaplanta.
Illa velut nutrix circum cunabula prima
Sedula iucundo capiti tam dulcis alumna
Effudit calathis argentea liliaplenis,
Halantèsque rosas, & purpureos hyacinthos.
Illa suum decus alma tibi concessit habendum,
Dèq; suis oculis oculos, de pectore pectus,
De manibùsque manus finxit, dèq; oribus ora;
Ut cum primo venisset flore iuuenta,
Atq; olim placidis atas foret apta hymeneis,
Præstantem egregio nullam sic ore videret
Aureus Eoo vel cum se gurgite anhelis
Tollit equis Titan, vel cum se condit Ibero:
Et Thetis in medio quereretur saepe profundo,
Pulchra coloratos & suspiraret ad fndos
Aurora, ambæ animis mærentes funera acerba
Natorum, crudòsque Deos, & sidera dura
Testantes ambæ; vitæ immortalis honorem

Quòd

Quòd non his etiam crudelia fata dedissent;
Tèq; nurum emptura certatim, si potis, ambæ,
Omnibus hac fndi gemmis, hac omnibus undis.

At tibi currentes ibant ex ordine luces,
Formaq; crescebat pariter crescentibus annis:
Olli cura fuit Cæli spatia ampla subire
Mente pererrando, & quantum tu digna tenere
Imperiis fueras terras circumq;, supraq;,
Tantum animo, & docta cognoscere Palladis arte.
Jamq; vagos Stellarum ortus iam lucida discis
Signa per immensos Cæli currentia campos,
Quot super hunc, vasto qui pondere sedit in imum
Suspensus paribus vinculis, & mole sua stat,
Immineant Orbes, & que discrimina rerum
Magnaparens illos inter Natura locauit;
Occasus metuant, an conuertantur in ortus.
Pallida quam gyro breviori Luna laboret
Solis equis, que sit rapidi violentia Cæli.
Quàm latè igniferos vultus, & brachia pandat
Scorpius, & curua minitetur vulnera cauda.
Quos nebula, & tristi pluuia, informisq; pruina
Aggeribus campos Capricornus compleat, & quas
Ignibus æternis damnaret Cancer arenas.
Quæ regio in terris nunquam non indiga lucis
Semper ubi caca densantur nocte tenebræ;
Quæ contra nunquam radiorum Hyperionis expers.

E 3

Quæ

*Qua maris immensi, qua sit telluris imago.
Hac tua te docuit virtus, hac discere prima
Cura fuit, subductoque oculos attollere Caelo.
O felix animi, & studiorum magna virago.
Scilicet adueniet tempus voluentibus annis
Astra tuos vultus cum mirabuntur honestos,
Dum super illa feres celeri vestigia passu.
Ipsa suos Aurora tibi vel lutea currus,
Interea hic nobis adsis pede Diua secundo;
Dum canimus sacra redimiti tempora lauro,
Huc ades, & Vatum aspira felicibus ausis.*

*Talibus, atq; aliis recinunt formosa COLUMNA
Mille tibi Vates: at densa canentibus umbra
Sacrorum nemorum plaudit, commotus ab antro
Ipse suo Eurotas, nec non Oeagrius Hebrus
Plaudit, & impulsa latantur vocibus aura.*

NICOLAI TERMINII.

N*ympharū fatalidū decus hac est; cedit Nympha,
Cedit, sola inter connumeranda Deas.
Tres inter Diuas si quarta COLUMNA fuisset,
Iudicio Paridis tum Venus esset iners.
Sol lateat, totam circumdant nubila terram,
Nec magè fraterno Luna nitore micet;
Proferat illustrem rutilanti pectore frontem,
Propulsis tenebris, lux erit ista satis.*

MA-

MARII NIZOLII.

O*Ris honore Venus, thalamis, & stemmate Iuno,
Arte preit reliquas docta Minerva Deas:
Sed tu magna Deum diuina Columnia proles
Singula sint illis cum data, cuncta tibi:
Cur non una trium titulo sis clara Dearum
Stirpe, animo, facie, Iuno, Minerva, Venus.*

ADAMI FVMANI AD
OCTAVIVM SAMMARCVM.

D*omesticarum maximis
Curarum in ipsis fluctibus
Octavi amice, parvulum
Tibi hoc poema condidi.
Tu si placebit, utitor:
Si non placebit, vrito.
At qualecunque sit tamen,
Me te arctè amantem diliges.*

M*Arta magni nominis,
In pace, in armis inclyti
Praeclara proles ASCANI,
Florentis huius gloria
Nostri COLUMNA seculi,
Parente pulchra pulchrior,
Parente, cui novis modis*

In vita

*In vita adhuc superstiti
 Dicata tanquam Caliti
 Miranda templa vidimus.
 Heroi laudatissima,
 Heroi cantatissima,
 Amica Musis, Gratiis
 Tam grata, quam qua maxime
 Audax nimis negotium,
 Certare nunc oloribus
 Tot velle me, clarissima
 Tuas per urbeis Italas
 Qui voce laudes differunt.
 Sed obsequendi maxima
 Roganti amico, cui nefas
 Negare quicquam quod roget,
 Novam necessitas meam
 Excuset hanc audaciam.
 Verum undenam potissimum
 Tot dicta de te persequens,
 Meum ipse carmen ordiar?
 Nempe unde id & redordiar.
 Nam missa sint ut cetera,
 Qua his addere est quam plurima
 De dotibus raris tuis:
 Nec ulla fiat interim
 Jucunda risus mentio:*

Id dixe-

*Id dixerim tantummodo.
 Tui brevis suspirij
 Aura una quod levis modo
 Ut Circius q̄ ut horrifera
 Ab axe flans Septentrio
 Mortalis agritudinum
 Condensa vitæ nubila
 Repente difflat omnia, &
 Quemvis licet miserrimum
 Momentum ad hora ocysimum
 Suscepta de te sit potis
 In omne tempus unica
 Beare cogitatio.
 Quodq; omnia hac, quæ plurimis
 Jam dicta de te sunt prius,
 Parvi estimanda duxerim,
 Præ qua abditæ intimo in tuo
 Mentis premis sacrario.
 Quæ si quis optet lumine
 In claro aperta cernere
 Vno atq; eodem tempore
 Jis vivere optet, ac mori.
 Tanta est in iis diuinitas.
 Felix Borelle proinde tu,
 Borelle amæne, cui datum
 Hera teneri tam bona,*

F

Etis

Et tu (vlla si vsquam ciuitas)
 Beata nunc Neapolis,
 Quae tale lumen possides
 Quo solis instar affatim
 Fulgente fulgorem suum
 Minora perdunt lumina.

Sebethe tu beatior
 Qui iam diu quod unice
 Gemens Metaurus expetit,
 Idem idem potes tuis
 Manus eburnas illius
 Lambisse lymphis, & genas.
 CAMILLE PINIATYLE
 Longè ipse fortunatior,
 Cui comparem talem, tuis
 Vni omnium mortalium
 Tuo arbitrato, cum libet,
 Pressare brachiis licet;
 Impressa quem post dulcium
 Mille osculorum millia,
 Et nexa utrinque gaudia,
 Solere nemo non sciat
 Illius artus uniter
 In membris complexibus
 Precisa nondum prorsus est
 Post iam octo Solis annuos

Actos per orbem circulos,
 Cui spes, vetustam, nauiter
 Qui te amulentur, indidem
 Deo volente, fortibus
 Augere gentem liberis,
 Qui mente tota cordeque
 Diu hoc auenti maxime,
 Cum calum auius conscenderit,
 Boni parente cum bono
 Monti leonis imperent.
 Beate tu ter, & quater,
 Excisa cui de fbericis
 Talis COLUMNA montibus
 Domum caducam fulciat.
 Felix marita tu quoque
 Marita clara, cui datur
 Tali potiri coniuge
 Cui terra vix habet parem,
 Summo in te amore coniuge,
 Tua saluti ut qui suam,
 Si certa detur optio,
 Caram salutem postferat.
 Sed nunc beata sis licet,
 Multo tamen beatior
 Futura tu puerpera es.
 Nam tum videbis omnium

Gemmas, lapillos fontium,
 Hyblæa duras ilices
 Sudare mella, & aurea
 Infantis ad cunabula
 Excitata letis omnia
 Quæ muta, quæ vocalia
 Sonare circum cantibus.
 Calabra iam tu natio
 Longe una felicissima
 Es quæ duorum coniugum
 Dignata tali copula,
 Vt iure nunc tibi inuident
 Tuæ perennes amula
 Lucana gens, & Appula.

PAGANI PAGANINII.

TE genitam genere è claro, formæque venustam
 Tanti sortitam coniugium esse viri;
 Nominibusque aliis centum florere potentis
 Fortunæ; longum quæ memorare foret:
 Hæc cum Heroinis tibi sunt communia; nostro
 Tempore quas tellus Parthenopæa tulit:
 His verò te scire uti, tantis que potentis
 Fortuna donis te addere posse decus;
 Et bona te vatem componere carmina, tégis
 Metiri è terris sidera cuncta poli:

Hæc tua

Hæc tua sunt tantum: verum mortalia, quamvis
 Hæc tua sint; verè dicere nemo potest.
 Hæc igitur cum sint in te diuina, vocari
 Non tu mortalis; sed Dea iure potes.
 Tu tu, mortales artus induta Dearum
 Una es, Sirenium ne, unæne Thespiadum?

Dfcimus astrologos sacros, sacrosque poetas;
 Hoc nomen res hac utraque sacra tenet.
 Si tu igitur quot sint fixa, aut errantia noscis
 Sidera, & es studiis dedita Pieridum:
 Cunctarum mater rerum presaga futuri
 Iure tibi sacrum nomen habere dedit.
 Hoc est quod magici quondam cecinere poetas,
 Cum rebus quadrant nomina sepe suis.

BERNARDINI CHRYSOLPHI.

Quid Cælo Andromedam, pulchræque Lycaonis
 Nunc Boreo spectas sidera fulta polo? (Arcton
 Ardentem & circum sinuosis orbibus Anguem,
 Et stella Heniochi qua micet orta die?
 Prætere a tardè voluentem plaustro Bootem,
 Et quot luminibus fulgeat Engonasis?
 Aut qua parte Poli Cephæus sua lumina terris
 Indicet, aut qualis splendeat ortus Olor?
 Vel quo se ostendant Atlantides, atque Corona

F 3 Cnosia

Gnosia lucentis tempore signa micent?
 Quin potius speculum accipias, & cuncta videbis
 In te, qua clarus signifer astra tenet.

IOSEPHI PARISTANII.
 VIATOR ET SACERDOS.

EC qua iam colitur Templo Dea? Diua COLV-
 Regibus Hesperis edita progenies. (MNA
 Quid ue tot eximij fidibusq;, & vace poëta
 Maonia dicunt carmina digna lyra?
 Concelebrant laudes, & nomen ad aethera tollunt,
 Effugiant nigros ut monumenta rogos.
 Qui tamen artifices Templum erexere sub auras?
 Junopotens, Pallas docta, decora Venus.
 Caestes igitur ponunt mortalibus aras,
 Et referunt nostris tura Sabaa focus?
 Ne mirere hospes: peragrant nam numina terras;
 Praesit ut Ausonium Diua COLVMNA solum.
 Et siue ingreditur Latiam Dea nota per urbem,
 Ingreditur secum Juno, Minerua, Venus;
 Seu solita populos in maiestate gubernat,
 Obseruant unam numina terna Deam.

ANTONII QUÆRENGI.

Qualis Eoo properans ab Indo,
 Cum diem pulsus referat tenebris

Aureum

Aureum, terra & radiante vultu
 Discutit umbras:
 Solis ardentis imitatur a flammis,
 Candida aurato micat ore mater
 Memnonis: toto fugat & repente

Nubila Calo.

Flicet nigrum Phlegethonta, & Orcum
 Manium vultus repetunt, soporq;
 Occidit: blandus sopor, & tremenda
 Mortis imago.

Occupat fulgens iubar astra: cedunt
 Quo viam flectit dea cunq; cedit
 Ipsa Thymbrai soror, & Tonantis
 Cynthia proles.

Illa sublimi super alta curru
 Fertur, & Diuum comitante plausu,
 Transuolat pernix rutilum citatis
 Aethera pennis.

Talis, aut longè exuperans nitentem
 Illius, sacri decore oris, ortum;
 Emicat terris superum propago,
 Diu COLVMNA.

TEMPLA, Paratonia surgentia mole, vetustas
 Struxit inaurato marmore Phoebe tibi:
 Sacraq; adhuc veterum seruat monumenta laborum
 Plurima numinibus subdita terra tuis.

Nunc

Nunc ipse, Aonidum turba comitatus, ad astra
 Splendidius summo vertice tollis opus.
 Intus Aragonia redolent incensa COLUMNÆ
 Cinnama, & Assyria fragrat odore focus.
 Quod si Tempia, virum manibus fabricata profanis,
 Haftenus extenta posteritate vigent;
 Hoc quibus innumeris tandem sua nomina seclis
 Proferet, ingentes quod posuere Dei?

M. ANTONII OTHELII.

ET plectro, & cithara iuuat
 Cantare; ergo age quem virum,
 Quem blandis fidibus Deum
 Clio rite canemus?
 Ante candide Cinthij
 Collis, & nemoris sacri
 Cultor, ò Jouis, & Deum
 Phœbe blanda voluptas?
 Ante Delia maximi
 Casta progenies Jouis,
 Latonaq; Erymanthij
 Cultrix atq; recessus?
 Ante Diva potens Cypri
 Miscens tristia dulcibus,
 Quam circumuolat & Focus
 Pulcher, atq; Cupido?

Sed

Sed quid nunc solitis prius
 Dicam laudibus? Inclytam
 COLUMNAM, undiq; nomina
 Cuius concinit Echo.
 Hanc hanc dicite virgines
 Castæ, & vos pueri integri;
 Huius tollite laudibus
 Sanctæ numina Divæ.
 Jam iam linquite Cynthiam
 Puella, & pueri integri,
 Phœbumq; & Venerem parem
 Frustrâ huic se esse putantem.
 Namq; tempus adest, adest
 Tempus nunc nimis aureum
 Quo dent cuncta locum Deæ
 Isti numina Divum.
 Quæ nil clarius ultimo
 Judo Sol veniens videt;
 Quæ mores nitidi vigent,
 Et mens candida semper.
 Hæc Phœbum numeris suis,
 Ac blandis fidibus lyræ
 Doctum vincit, & artibus
 Ipsam sæpe Minervam.
 Hæc verbis placidis potest
 Mentis frangere ferreas,

G

Nam

Nam dulci eloquio valet
 Maia vincere natum.
 Hac suo ingenio solet
 Cuncta noscere sidera, &
 Horum dicere plurimos
 Effectus, variosq;
 Quis ergo hanc sileat Deam?
 Quis non laudibus efferat
 Magni progeniem ASCANI,
 IOANNÆq; potentis?
 Hanc Solem Italia canent
 Puella Aonia, hanc canent
 Romana decus optimum
 Gentis, presidiumq;
 Vnde sidere clarior
 Vivet fama HIERONYMÆ
 Dum Titan radiis suis
 Latum texerit orbem.

Ante alias, tellus peperit quas Italia, honore
 Aeterno est equidem aigna COLUMNA coli.
 Nam si vel digitis, vel curvo pectine pulsar
 Hac citharam, rapidas carmine sistit aquas:
 Si ridet, toto detergit nubila Caelo:
 Si loquitur, verbis aspera saxa domat:
 Illa eadem patrum si lumina vertit in aquor,
 Sidereo

Sidereo tumidas lumine sternit aquas.
 Illa eadem, gelido sylvas Aquilone mouente,
 Si graditur, vario flore coronat humum.
 Hanc igitur cuncta studeant laudare Camæna
 Certatim, & doctis tollere ad astra modis.

OCTAVII BORNATI.

Qua vox, qua lingua meritos tibi dicere honores,
 Quæ nostræ ætatis gloria summa, queant?
 Quis valeat tantas complecti carmine laudes?
 Digna es Mæonio, vatèq; Threicio.
 Nomine tu sacro clara es, tu sanguine auorum;
 Virtute at propria clarior ipsa micæ.

Cum canerem ipse tuas celebris HIERONYMA
 Cynthius auriculam vellit, & admonuit; (laudes
 Desine iam argutos inter strepere anser olores;
 Non hæc tanta tuis conveniunt humeris:
 An credis tenui calamo tot magna referre?
 Atq; urna Oceanum claudere posse putas?

HIERONYMI BORNATI.

VT quondam fuerant ignis nubisq; Columnæ
 Erranti populo nocte dièq; duces;
 Atq; viam certo signabant tramite; dirum
 Quò fugerent Regem, barbaricasq; manus;

*Sic ostendis iter tu nobis sacra COLUMNA
Securum; per quod tenditur ad superos.*

BONAVENTURÆ GONZAGÆ.

V Incere qui fuerat solitus mortalia quæq;
Atq; animos superum iam superare Deum;
En iacet (ista ferit) percussus vulnere casto,
A casto turpis sic superatur Amor.
Pulchra oculis, pulchra est mænis, est pulchralacertis:
His Iuno, his Pallas, dicitur hisq; Venus.
Singula sunt uni tantum concessa: tibi sed
Omnia; Juno igitur, Pallas es, atq; Venus.
Vincitur arte Dea quondam pulcherrima Arachne,
Nec mirum; mulier namq; sit, illa Dea.
Pallados ars autem quod sic cadat arte COLUMNÆ
Hoc mirum, mulier cumq; sit, illa Dea.
Hanc fouet alma Venus, fouet hanc castissima Pallas,
Casta sit ut dubites, sit sine pulchra magis.
Quod celeri feriat iaculo iam tenderat arcus
In castum pectus, tunc male cautus Amor.
Atq; sibi retrahens dextram sic torquet, ut ictus
Exclamans valeat vix retinere parens.
Desine nate (inquit) rursus iam desine nate,
Non hac turpis Amor pectora casta ferit.

Phœben

*Phœben Celi, Nympham lucum, Erebiq; potentem
Dicant te, cum sis fulgida, casta, potens.*

CYNTHII IO. BAPTISTÆ GYRALDI.
AD OCTAVIUM SAMMARCVM.

Iucundissime mi Samarce, quantum
Qui viuant hominum est amiciorum
Quid tu me artibus omnibus solutum,
Et senem tremulum, aridum, cadentem,
Ad lusus lepidos virentis æui
Quid nunc me reuocas tua hac COLUMNA?
Qua nil pulchrius, elegantiusue est,
In cuius residet Suada labris;
Quæ prisca colit Archimedis artes;
Quam curru Vranie vehit per altas
Domos calicolum gradu beato,
Cui cunctos aperit poli recessus,
Dum Solis docet, est vices sororis,
Et quæ sydera fixa, quæ vagantur.
Tantis hanc igitur bonis refertam
Vis ornem numeris mea Thalia
Prorsus illepida, atque inelegantis?
Ut sannas patiar, grauésque ronchos,
Quos parant critici maligniores?
Me credin' calor entheus laceffat,
Et prima vocet ad iocos iuuenta?

G 3

Non

Non sic res habet, heniacent Camæna;
 Torpet, heu, senij gelu sepulta;
 Quæ vis feruida me excitabat antè.
 Sed postquam hoc libuit mihi imperare,
 Quem premit senium, & podagra torquet
 In dies magis, ac magis fatigat;
 Excui à veteri statim veterno
 Imbecillum animum, pigrasq; vires:
 Ut tibi gererem subinde morem,
 Hosq; versiculos ineptiores,
 Inuitis propè Apolline, & Lyæo,
 Omniaq; Aonidum choro Dearum,
 Excepi calamo, & manu labante.
 Id tamen doleo, tuam hanc **COLVMNAM**,
 Esset quæ in media locanda Cyrrha
 Cantu Mæonio, aut nitentiori,
 Hoc si candidius quid esse possit,
 Ne dispendia temporis subiret;
 Ineptis numeris meis subisse
 Penè obliuia fluminis silentium:
 Hæc tu carmina ni iuues fauore
 Tus multimoda eruditionis,
 Culta & Juppiter, illius Camæna,
 Phæbo proxima qua facis canendo.

Pegasides bis quinque facis nunc esse sorores

Dum

Dum canis, & docto pollice tangis ebur:
 Treisq; etiam Charites diuino munere lingua
 Et blando aspectu quatuor esse facis:
 Palladaq; ingenio reddis, Phæbénq; pudore,
 Atq; tibi cedit victa decore Cypris:
 Nil iam, nil mirum est, si vir tibi contigit uni
 Ore queat Clarium qui equiparare Deum,
 Hermetem eloquio, Graduum robore, quiq; est
 Proximus ingenio, consilioq; Ioui.
 Juno hunc felici iunxit tibi fœdere lecti
 Prole tua ut niteant stemmata clara magis;
 Et quæ deserant, redeant Saturnia secla:
 Quæis priscus terris restituatur honos.

(vertit,

Si quò fert gressum, quò oculos **HIERONYMA**
Terra viret, flores undiq; prata ferunt:
 Vimponit Boreas, ponunt tumida aquora fluctus,
 Et nebula fugiunt protinus aëria:
 Frigida bruma fugit, volucres cantu athera mulcent,
 In ver purpureum se horrida vertit hyems:
 Et Sol auricomus solito mage fulget Olympo,
 Cynthiaq; & radio lucidiore micat.
 Quis non hanc cali lapsam de vertice credat?
 Quisve ipsi sacrum numen inesse neget?
Cernere nil oculi egregium, mens ardua nilq;
 Concipere egregium, conspicuumue potest.

Quod

*Quod tua non superet species, virtusque, geniusque
Hæc superis faciunt te esse COLUMNA parem.*

*Quare etsi de te meditantur carmine Vates
Maxima, tu illorum carmine maior eris:
Summa sibi fingant omnes, & summa refingant
De te, nullus mendax esse poëta nequit.*

*Qui quaris pulchri quicquid Natura creavit
Noscere, in hanc unam lumen utrunq; refer.
Nam quicquid potuit rerum Natura decoris
Tradere, id egregiè sola COLUMNA tenet.
Sydera clara oculis, & fulvum crinibus aurum,
Ore aequat Paphis lilia mixta rosis.
Puniceas labris gemmas, & dentibus illas
Fudo quas genuit lucida concha mari.
Collo ebur Assyrium superat, & pectore pulchro
Bistonias vincit, Caucasæsq; niues.
Utq; breui claudam versu quæ magna supersunt,
Non Cypris toto est corpore pulchra magis.
Quin Phrygius pastor forte hanc si in vallibus Jda
Vidisset, poterat dicere, cede Venus*

*CLara atavis coniux, vir sanguine clarus avito,
Cdotibus egregiis hic nitet, illa nitet:
Cum virtute pares igitur, cum stemmate avorum,
Sint ambo, & Latij lux sit uterq; soli:*

Dum

*Dum soboli incumbunt Junonis numine fausto,
Non dubito hanc nobis gignere posse Deos.*

*Pulchrè conuenit & viro, & COLUMNÆ,
Namq; amor parilis, fidēsq; utriq;
Quam rogo ut superum Pater perennet,
Est par nobilitas utriusque avita,
Sunt atate pares, parēsque forma,
Par utriq; decus, parēsque mores,
Vritq; unanimis cupido honoris,
Et circumfiliunt utriq; amores,
Nec minus charites decentiores,
Pulchrè hinc conuenit & viro, & COLUMNÆ.*

*Fama Deas vana est, tulerint quod tēpora prisca;
Sit nisi nunc etiam casta COLUMNA Dea:
Fæminei namq; est una hæc lux maxima cætus,
Et secum magni numinis instar habet.
Quin illis hæc est nunc præponenda Deabus,
Et superant præscam secula nostra fidem.
Diues opum est, regniq; potens Saturnia Juno,
Consilio Pallas, clara decore Venus:
His tribus excellit raris HIERONYMA donis,
In sola hæc una numina terna vigent.
Hinc ipsam sacro donarunt nomine Diui,
Ut superum huic pateat fata dedisse decus.*

H Si paucis

SI paucis cupias referre verbis
 Quicquid est decoris, boni, & venusti,
 Forma, aut ingenii sagacioris,
 Quicquid ingenui pudoris extat,
 Gratia, & Veneris decentioris,
 Quidue nobilitas honoris addat
 Auro, & diuitiis, utrisq; virtus;
 Nomine hæc simul explicabis uno.
 Quòd si te ut doceam cupis, benignè
 Dicam, huic est nitidum COLUMNA nomen.

Divitiis aucta es magnis, es sanguine clara,
 Clara parente, ipsa es non genitrice minor:
 Egregiòq; es iuncta viro, qui fortibus ausis
 Scipiadas referat, religione Numam.
 Certa manent quæ sceptrâ patris, sed magna licet sint
 - Hæc dona, & paucis tradita diuinitus;
 Attamen ista tuæ non sunt decora in clyta laudis,
 Sunt maiora quibus conceleberrè bona,
 Forma decens, animo verè coniuncta pudico,
 Et comis gravitas, & sine labe fides.
 Palladiâq; artes, & dulcis copia fandi,
 Qua cunctas mentes in tua vota trahis.
 Ingeniùmq; sagax, solers prudentia rerum,
 Commoda qua captas, & nocitura fugis.
 Et mens, qua astra petis, qua non vivacior ulla

Sydereas

Sydereas potis est ire, redire vias,
 Æmula Pieridum citharæ solennia dona
 Sic tractas, te ut sit Calliopea minor.
 Nam dum percurris felici pectine chordas,
 Concordiq; addis carmina docta sono,
 Ipse stupet Phœbus, totus tibi ridet Olympus,
 Pieridèsq; tibi laureaserta ferunt.
 Sunt magna illa quidem, sortis sed munera; verùm hæc
 Sunt tua, qua es maior conditione hominum.
 Namq; tibi plena tribuit tot munera dextra,
 Ut tibi nulla queant secula habere parem.
 Fortunata nimis sortisq; & munere mentis,
 Æternùm has dotes secla futura canent.

Nunc bonus ad nostras Octavius attulit aures
 Quas tibi Diij larga dona dedere manus,
 Quod deserta diu cogit me carmina adire,
 Atque iterum residis fila mouere lyra:
 Ore tamen tenui cecini tua munera; sed si
 Cernere te mi unquam fata benigna dabunt;
 Concipiam maiora animo, & tunc viribus auctis
 Te versu, & plectro nobiliore canam.
 Interea hos numeros, ductos è paupere vena
 Perpetuò addictæ pignora mentis habe.

PETRI BIZARRI.

Virgo in viridi puella prato
 Quod terra omnigeno colore florum,
 Exornat redeunte vere, prorsus
 Nescit quem prius eligat, suisq;
 Excerptat manibus; videntur omnes
 Tam pulchri foliis, odore, visu:
 Sic dum ipse intueor stupore plenus
 Dotes multiplices, quibus refulges,
 Seu partem inspiciam secretiorem,
 Quæ calo venit ac Deorum imago est;
 Vel quæ lumine cernitur patenti;
 Aut quæ sorte bona obtigere; prorsus
 Ignoro, unde prius mihi capessam
 Vllum principium, vel unde sperem
 Euentum ex animo. decus vetusti
 Num clarum generis parente utroq;
 Deductum celebre ac domi forisq;
 Longa posteritate saculorum
 Insigne hic referam? omnibus propago hæc
 Terris cognita, laudibusq; cunctis
 Jamdudum micat. an tui venustam
 Formam corporis, oris, atq; vultus
 Narrem? num eximias tibi paratas
 Arte, aut ingenitas, datâsq; Calo
 Virtutes recinam? id referre longum,

Et supra

Et supra ingenium est meum. ergo tantas
 Laudes præteriens, colam silenti
 Te voce, atq; animis fauebo, donec
 In nobis anima vlla pars manebit.

BASILII PARAVICINI.

Lucidus ut magno, splendenti & corpore Titan
 Illustrare polos, atq; elementa solet;
 Ut calor ingreditur radiisq; animantia rectis;
 Et turget prægnans germine sæpe solum:
 Sic tua iam toto facies splendescit in orbe,
 Eximium & cunctis est tua forma decus.
 Diuinisq; actus similes, diuinâq; verba
 Virtute accendunt cuncta hominum genera.
 Sed tu cum radiis fulgentia lumina Phœbi
 Iam dudum exuperas, lumine utroq; micans.
 Natura illa etenim virtute operantur ubiq;
 Natura hæc eadem sunt ruitura semel:
 At tu, quæ mente egregia, quæ & corpore pulchro
 Hac agis, iis tandem tota perennis eris.

LAVRI DRAGII.

Castalides extare nouem dixere poëta;
 Quas thure, & precibus iam coluere piis.
 Cum peterent ventura viris, bis quinque Sibyllas
 Poscebant, donec certus Apollo daret.

H 3 Mune-

*Munera, opemq; Deum, aris inclinata vetustas
 Orabat lachrymans, saepe salutis egens.
 Virtutum specimen Latius nunc protulit orbis,
 Cui faueat Musis docta Minerua, suis.
 Namq; futura videt, Cali meditatur & astra;
 Si sexum tollas, Delphicus alter erit.
 Quod si scire cupis, soboles Romana, puella est,
 Gloria Parthenopes, Ausoniaq; decus.
 Laudibus ad Calum meritis hinc maxima Vatum
 Pars tollit, cum sit Musa, Sibylla, Dea.*

LACTANTII ARTVRI.

QUAE magno in Tēplo celebraris Diua COLUMNA,
 In me dic, Tempus, nil tua iura valent.

BERNARDINI PARTHENII.

QUalis cum puro fulget vaga Cynthia cornu
 Desuper, & biugis vecta renidet equis,
 Caruleus nullis densatur nubibus aër,
 Roscida nox cacas Orco operit tenebras.
 Mille acies stellarum ardentes crinibus aureis
 Percurrunt rapidum nocte silente polum.
 Ipse pater stellarum opifex è vertice Olympi
 Nocturnas gaudet sydera obire vices.
 Miratur vario distinctum lumine Calum,
 Noctinagosq; ignes currere noctis iter:

Hinc

*Hinc gelidum spectat ducentem plaustra Booten,
 Quaq; nitet celso Manalis Vrsa polo:
 Andromedam scopulo heretem, in diuersa reuinctam
 Brachia, ridenti lumine Cassiopen.
 Inde Lyram se tollentem Egoceronis ab ortu,
 Et toruum auratis cornibus Eridanum.
 Hydramq; Hadorumq; astrum, Oleniamq; Capellam,
 Quaq; ratis fuluae vellera vexit ouis.
 Pleiadásq; Hyadásq;, & amantem flumina Cycni:
 Quem narrant plumis oculuisse Jouem.
 Namq; ferunt Ladam, dū argentea mēbra per aëstum
 Permulcet lymphaproficientis aqua,
 Et teretes suras, & mollia colla, lacertosque,
 Et mage Scythonia pectora cana niue
 Irrigat, & gaudet circum colludere lymphas,
 Spectantem Calo diripuisse Deum:
 Tunc niueas pennas cycni arripuisse Tonantem,
 Hasisse & tenera virginis in gremio.
 Inde alia, atque alia inspectat radiantia latè
 Lumina, quae Eoo, quae Hesperio orbe nitent.
 Non tot alit tumidum Neptunia mōstra profundum,
 Tot folia autumnisydere lapsa cadunt: (aut
 Nec tot ad Jonij trudentur littora fluctus,
 Aurea quot fulgens sustinet astra polus.
 His alios si quis incendere queritet ignes,
 Non animo captum hunc desipuisse putes?*

Quae

Quæ manus his, doctus vel quis decus addat Apelles?
 Tam pulchrum ullius indiget artis opus?
 Talem te virgo memorant, pulcherrima, nullo ut
 Carmine te merito tollere Musa queat.
 Persimilis Calo, atq; astris fulgentibus, una es,
 Quæ (mirum) nulla crescere laude potes.
 Sic, neq; cum pronas profundit Aquarius urnas,
 Augetur tumidis annibus Oceanus.
 Non illum effusus septeno flumine Ganges,
 Non tot collectis turbidus Indus aquis,
 Euphratesiue auget, stagnanti aut gurgite Nilus,
 Aut quotquot circum littora curua fremunt.
 Quis formæ decus, aut geminos duo sydera ocellos,
 E quibus occultus spicula torquet Amor;
 Sydereæ vel quis diuinum frontis honorem,
 Cui inuideant Charites, inuidet ipsa Venus:
 Quis mentem, atq; altas iuuenili in pectore curas
 Excultum aut claris artibus ingenium
 Diceret? aut posset numeris ornare canendo
 Tam felix quisquam munere Pegasidum?
 Non ut librato deducens stamina fuso
 Pendula famineo pollice verset opus:
 Verum ut inauratam percurras pectine eburno
 Barbiton, aut curua dulcia filis lyra.
 Egregium sacli, & summum decus Heroion
 Te gelida valles, te caua saxa sonant.

Te pleni

Te pleni celebrant Musarum numine Vates,
 Et sacra certatim plectra, lyramq; dicant.
 Te lata dicent terra, te cerula ponti;
 Ibis ad extremos ales Hyperboreos.
 Et paribus cum matre ferere per aethera pennis,
 Quæ cadit, & qua Sol profilit æquoribus.
 Dúmque secans nubes, calo & loca disita nostro
 Tollere ad monstri terga Lycaonij;
 Siue axem Oceano quæres delapsa latentem,
 Te, licet obscuro carmine, Diua sequar.

BALDI BONITEMPORIS.

ES matre digna filia dignior,
 Quam quisq; Vates predicet optimus:
 Verum elaborantes tuis in
 Laudibus egregijs poëta
 Nullis fatemur temporibus datos
 Tales viros, qui pertulerint onus
 Huiusmodi, aut posthac datum iri;
 Virgilij, redeantque Homeri.
 Illud quod ergo possumus, hanc tibi
 Felicitatem, maxima qua quidem est,
 Omnes libenter gratulatum
 Nos proper animus huc ad unum.
 Et toto agentes pectore gratias
 Diis, quod dederunt Regibus editam

J

Huic

*Huic saeculo nostro intueri
Te, bona & omnia possidentem;
Laudare quam omnes pro meritis velint,
Nemoque possit; poscimus ut tibi
Summus Deorum Rex beata
Vivere Nestoreos det annos.
Nam, si diu hac affulserit hic tua
Non visitato lumine sanctitas,
Virtusque; prorsus nostra sacris
Pulchrior omnibus ibit atas.*

IO. VINCENTII SAMMARCI.

Romanas anteit cunctas Lucretia casta,
Vincit Amazonidas Penthesilea suas;
Argivis palmam Leda pulcherrima proles
Præripit; ast Syriis Zenobie ingenium.
COLUMNAM claro genitor demisit Olympo,
Splendoris signum quæ foret eximium.

NICOLAI ANTONII GICZARELLI.

VNica mens aliis, & Vates contigit unus;
Vix potuit Vates unus habere duos:
At tibi diuersæ cum Dia COLUMNIA mentes
Et data sint vni numina multa Deæ,
Quid mirum tibi sit totidem contingere Vates,
Numine quos celebres tu celebrata facis!

Nec

NEc cantu tibi Sirenes HIERONYMA certent,
Nec tibi se forma præferat ipsa Venus.
Nam tu dum celeri percurris pollice chordas,
Summaq; clarifona sydera voce feris:
Horrida deponunt rapidi sua murmura venti,
Et sistunt cursus flumina præcipites.
In quem autem dulces ridens conuertis ocellos,
Efficitur gelidus protinus ille lapis.

BERNARDINI LVCATELLI.

Viderat in somnis ima à tellure COLUMNAM
Surgere Pan, sensim mox tetigisse polum;
Imposita hinc etiam cunctis ex urbibus una
Incluta Parthenope, magnus & Orbis erat.
Hanc seruate Dei, exitio ne fortè sub uno
Tandem cum geminis Orbibus illa cadat:
Nam quoq; Parthenope, tantum caput extulit, ut non
Nomina conueniant urbis, at Orbis, ait.
Sæpe ferunt Lunam nimio Endymionis amore,
Non tamen hoc mirum est, deseruisse polum.
Hoc mirum cuncta ad se si euocat astra COLUMNAM,
E Caloq; omnes allicit una Deos.

DESIDERII LIGNAMINEI.

Iudicio Paridis risit Cytherea, quòd ipsa
Nuda Deas forma vicerit una duas:

f 2 Abs

*Abs te nunc vinci dolet alma COLVMNIA: tanta est
In te nobilitas, gratia, forma, decus.*

IO. ANTONII TVRCI.

Fulgida nunc terris, & tam speciosa moratur
*Qua facies praestans syderibus nitidis?
Ipse procul dubio diuino semine natam
Credam; mortalis mos, neq; forma patet:
Corpore formoso incedit, vultuq; venusto,
Junonis dici possit ut illa soror.
Quam contemplatur Calos, causasque latentes;
Eius virtutes miror, & ingenium.
Amplius haud poteris primas Tritonia partes,
Iure sibi primum vindicat ista locum.*

IOSEPHI PEDANII.

Diva decus Latij longum celebranda per aevum,
*Qua Cali ingenio tangis utrunq; polum;
Parcas si nequeo breuib; contexere chartis
Egregiam speciem, facta, genusque tuum.
Non si Maonides superas migraret ad auras,
Crediderim laudes dicere posse tuas.
Magna etenim laus est, forma superare puellas;
Sed stupor, ingenio te superare Deas.
Pallas, Castalides, Vates, Dea Cypria, Phoebe
Mirare, ornetis, dicite, cede, faue*

Ingeni-

*Ingenium, crines, laudes, formosa COLVMNÆ
Sublime, aureolos, carmine, membra, Dea.*

DVM propter formam furis crudelibus acta
*Certarent iterum Juno, Minerua, Venus:
Iuppiter ardentis cupiens componere lites,
Edidit hac magno pectore verba sono:
Cedite, vos etenim me iudice vincit honore,
Ingenio, forma, Diua COLVMNA suis.*

LACTANTII PERSECINI.

Non id pro merito diram qui contudit Hydram,
*Cum Calpa innixus fixit, posuitq; Columnas;
Quod meruit genitrix, quando est enixa Columnam,
Qua nunc terra stupet, limen miratur Olympi.*

BERNARDINI TOMITANI.

Quisq; tuã laudat Vates HIERONYMA formã,
*Et genus, & proavos, pectus, & ingenium.
Te legit & celebrat Latij pulcherrima tellus,
Tybridis & magni diceris esse decus.
Hinc merito centena moues ad carmina pleetra,
Qua tua certatim nomina ad astra ferunt:
Incola qua Getica miratur sola pruina,
Qua q; etiam relegit Sole perustus Arabs.
Et Rhodopeius amat tua nomina vallibus Hami,*

} 3 Et rigi-

Et rigidi repetunt, fortia corda, Scythæ.
 Tum fœcunda bibens septemplex ostia Nili,
 Sarmata & instructos flectere doctus equos.
 Quiq; colunt nigri felicia rura Sabæi,
 Massylumq; nemus, Caucasumq; iugum.
 Demetit & quisquis segetem beneolent is amomi,
 Et qui Cyniphium non bene littus arat.
 Et quos occiduo circumtonat equore Nereus,
 Et quos Eoi diluit unda maris.
 Hæc eadem mollis solitus laudare Sicamber,
 Hæc eadem Parthus, concinit ore, ferox.
 Crinibus Æthiopes flexis, passisq; Geloni
 Laudibus applaudunt pulchra COLUMNA tuis.
 Sæpius ipse Cilix, posito meditatur aratro,
 Laudibus applaudens casta COLUMNA tuis.
 Te stupet irata sinuosa Propontidos ora,
 Et te cum Scylla, vasta Charybdis, amat.
 Nosceris & tumidis Hyrcanæ Doridos undis,
 Teq; colunt Libycis stagna refusa vadis.
 Extrema hoc Thule, hoc picti nouere Britanni,
 Aurora, & Gades, cumq; Aquilone, Notus.

AD THELESILLAM.

Prosilit algidulus muscoso è fornice riuus,
 Electro cuius purior unda cadit.
 Frigiduli resonant latices, molliq; susurro

Inuitat

Inuitat dulcis languida membra sopor.
 Et nemus egelidum ramis frondentibus umbras
 Præbet, & arguto murmurat aura sono.
 Frondibus in densis mota crepitantibus alis,
 Ingeminant liquido gutture carmen aues.
 Florida prata nitent, vario & depicta colore
 Miscent purpureis lilia cana rosis.
 Hic THELESILLA potes placidis te mergere in undis,
 Vrenti quoties sydere feruet humus.
 Hic gelidis sitibunda potes lenire labella,
 Et lymphis faciem tergere pulueream.
 Ipsa feres auido delectos pollice flores,
 Ad sumum saturans vimineos calathos:
 Et caltham, & violas, immortalémq; amaranthum,
 Sanguineo & maratri gramina iuncta croco:
 Romana his texes dum rustica dona COLUMNÆ,
 Concelebrans tanta numina magna Dea:
 Ipse ego tum citharam percurrens pectine eburnam,
 Tractabo tremula fila canora manu.
 Tum mihi Pegasides, diuino carmine, laudes
 Dictabunt, tanta præmia magna Dea:
 Illi ut nascenti tribuerunt aurea Parca
 Stamina, quæ Latio sæcula prisca ferant.
 Utq; opibus magnis, illustri & sanguine creta,
 Sit Romæ splendor, Parthenopésq; decus.
 Pallada ut ingenio superet, formaq; Dionem,

Lumine

Lumine sitq; huius Cynthia clara minus.
 Illius ut voces formet Tritonia virgo,
 Et repleat multo nectare, blandus Amor.
 Sit decima hæc animi, Musarum deniq;, cultu
 Reddita, quarta Charis, tertia casta Venus.

FRANCISCI ZANNII.

EX adytis TEMPLI geniali numine lumen
 Prouenit, & terras irradiare facit.
 Diua Aragona parens, pater ipse Columnius Heros,
 Is fuit Ascanius, illa Joanna fuit.
 Incluta progenies Regum hæc HIERONYMA, Diuum
 Munere nata, orbi numina cuncta tulit.
 Nam Venus est forma, Juno quoque fertur honore,
 Diuino eloquio dia Minerva manet.
 Signa pudicitie queras, erit usque Diana;
 Si Musas, chorus hæc; si Charites, Charis est.
 Omnia cum capiat, nil mundo dignius extat,
 Cuius (dum superest) orbis amore calet.
 At postquam æthereas rursus transcendet in oras;
 Felix tam raro numine mundus erit.

Borrellum in Calabria gens Pignatellia seruat,
 Et vicina simul plurima læta loca.
 Huic Comes antiqua præest nunc de gente Camillus,
 Cui Diua est coniux de genitrice Dea.

Stemmata

Stemmata qui veterum Diuum cõprehendere posset,
 Astra is tunc posset, littoris atq; micas.
 Et licet hoc ageret, dotes quibus aurea coniux
 Ornatur, nunquam dinumerare queat.

ADRIANI BURCHII.

Tres donis certasse Deas HIERONYMA, tẽq;
 Omnibus vnã omnes accumulasse bonis;
 Fama volat, totusq; tuis circumsonat orbis
 Laudibus, & magni numinis instar habet.
 Nam donauit opes Iuno, concessit honores,
 Stemmataq; à magnis Regibus aucta dedit;
 Ingenium Pallas tam dextrè instruxit, ut arte
 Sit quauis similis femina nulla tibi.
 Utq; animus pulchro tegetetur corpore, fecit
 Participem formæ te Venus ipsa sua.
 Præterea innumeris quàm sis ditissima donis,
 Summa fides, probitas, religioq; docent.
 Nempe suas dotes ista fundare COLUMNA
 Tres simul vnã animas constituere Dea.

FLAVII ANTONII GYRALDI.

Alta tibi obtigerit veneranda Hieronyma cum
 Palladis, & Paphie forma decora Dea; (mens
 Ascaniisq; Columna pater, genitrixq; Joanna,
 Quam non degenerem stirps Aragona tulit;

K Connus-

Connubiōq; paricum sis coniuncta Camillo,
 Quem Calabros inter sceptrā paterna manent:
 Jam sat eras felix, tamen haud contenta caducis,
 Tollis ad aethereas lumina pulchra domos;
 Gemmatam passim superum circumspicis aulam,
 Reddere quam veterem secula nulla queunt.
 Ast eadem semper gelidum torquetur ob axem,
 Nuncq; vehit tenebras, nunc reuoluta iubar.
 Hac specularis exorta alto clarissima Caelo
 Miraris patriae regna beata tuae.
 Nempe tibi est merito caelestis debita sedes;
 Hanc tamen una omnes tarda rogamus adi.

HIERONYMI FRANZONII.

VOce, lyrāq; tuam laudent HIERONYMA for-
 Teq; canant alij Regibus esse satam: (mam;
 Si mihi Pierides, si nunc spiraret Apollo,
 Ipse animi canerem tot bona rara tui.
 Nam vincis Latias virtutibus Heroinas,
 Ut Sol exoriens astra minora fugat.

AMBROSII MEDIOLANENSIS.

Dum niveis torquet digitis COLUMNIA sphaerā,
 Metiturq; duos pro ratione Polos:
 Credidit Vraniam Latij studiosa iuventus,
 Certatim Musam sic colit indigenam.

BAR-

BARTHOLOMÆI LVPATI.

H Eroum sobolem nobis tulit alma COLUMNAM
 Parthenope, qua nil clarius orbis habet.
 Hanc Phæbus docuit caelestes noscere cantus,
 Et Maia proles dulcia verba loqui.
 Cui Venus effinxit formam, lumenq; iuuenta;
 Corpore fit virtus gratior egregio.
 Hæc est ambrosia, hæc diuino nectare digna;
 Hanc virtus, probitas, formaq; ad astra feret.

IO. BAPTISTÆ ARNALDI.

ARNALDVS ET SAMMARCVS.

ARN. Dfcite P. ausilypi colles qui vertitis amplos,
 Sunt hæc, qua coluit vomere culta Ceres?
 Cur vos tanta tegit magni clementia Cæli,
 Ut Ver his agris floreat aspidium?
 En omnes lati hos adeunt, ut limina vite;
 Immemori patriæ spernitur ipsa domus.
 SAM. Hos agros iussit quondam parere colonis.
 Mantua quem genuit maximus ille Maro.
 Pontanus sylvas docuit resonare Camænis,
 Quem semper clarum carminis aura facit.
 Hic gelidi latices, quos & Syncerus amavit,
 Qui vetuit scopulos fluctibus obstrepere.
 Viuit adhuc Rota, iam viuet, qui cōiugis alma
 Funera prosequitur fletibus, & gemitu.

K 2 Bacchus

Bacchus adit colles, miro quos tollit honore:
 Pavit & hic quōdam pastor Apollo boues.
 Hic quoq; lata Pales lucis habitavit opacis:
 Et Pomona suo stipite poma fouet.
 Errantes Cytherea choros pulcherrima duxit:
 Et carpsit flores florida Nympha suos.
 Æquora quæ quondam cantu mulcebat, apertos
 Nūc colles mulcet maxima Parthenope.
 At, nostro nuper claro quod contigit auro,
 Sacra COLVMNA datos incolit alta locos.
 Hæc pulchro è Latio nobis tandē inclytæ Roma
 Cum tribuit miseris, optima quæq; dedit.
 Nam voluit genti ut præstās HIERONYMA
 Legibus è sacris qua bene nomē habet. (præsit
 Hæc ubi nos adiit, crevit clementia Cæli,
 Et Sol Eoo latior orbe redit.
 Mortali quod eam spectas sub imagine; Diuam
 Mortalē haud fas est dicere, vera Dea est.
 Huius in aduentu, quo non felicior alter,
 Omnia sponte sua parturit alma Ceres.
 Fert semper vitis ramis felicibus vnas;
 Pomiferas plantas hic locus vnus habet.
 Hinc læta pecudes, hinc est concentus in aruis,
 Hinc fundit cornu munera Diua suo.
 Craterisq; sinu consistunt omnia, nostro
 Littore nec quicquam tutius esse potest.

Sit

ARN. Sit felix, cultōsq; regat venerata per agros,
 Nestoris illi annos, plurima sacra precor.
 At superas tandem libeat si scandere sedes;
 Linquat & hic prole, qua regat ipsa suos.

PAULI ANZELONII.

MFratur mundus cur sis sine prole COLVMNA
 Omnibus in terris iam venerata Dea.
 Non quia tu sterilis, seu vir, fecundus uterq;
 Errant hic medici, causaq; vera latet.
 Sed Dea cum sis, claro quamuis nupta marito,
 Non bene mortali stat Dea iuncta viro.
 Quinetiam tua seu mas, seu si fœmina, proles
 Esset, non esset cui socianda foret.
 Sed pia vota Deus tandem bonus audiet, orbis
 Ne generis tanti lumine cassus eat.

Qua post fata vigent telis interrita mortis,
 Illa solent animo grata placere tuo.
 Ab Ioue sub Cælo qua sunt producta perenni,
 Omnia sub certo tempore lapsa cadunt.
 Robora roduntur carie, rubigine ferrum;
 Marmoreos vultus conterit ipsa dies:
 Regna labant, procumbit honos, & gloria Regum,
 Sceptraq; sub stabili fœdere nulla manent.
 Carmina non ignes, non inclementia Cæli,
 Non abolere potest mortis iniqua manus.

K 3 Ergo

Ergo tibi donum puto non praestantius ullum
 Quam dare Phœbea carmina culta lyra.
 Qua tua concelebrent diuina munera vita,
 Et dotes animi, & corporis egregias.

THOMÆ CORRÆÆ.

VT caput auricomum nitidas attollis ad auras,
 O non de Pario ducta COLUMNA iugo:
 Dicuntur superi totis arsisse medullis;
 Blandus & irrepfit sancta per ossa calor.
 Juppiter incaluit: Veneris puer arsit, & aequè
 Incubat iste genis, incubat ille sinu.
 Oblitus Daphnen sequitur tua lumina Phœbus,
 Et iuuat athereas saepe iterare vices.
 Cætera turba tibi dum casto arridet amore:
 Atq; tuis pascit lumina luminibus:
 O quoties vellet formosi & mœnia Olympi;
 Et gravidam stellis deseruisse domum!
 At Cytherea Venus, nostras iam cedimus aras,
 Jure tibi ò columen urbis, & orbis, ait.
 Cedimus: Aeneadum iam te, mea cura, propago,
 Et Surrentini littoris ora vocet.
 Et quæ Sirenum generosa Neapolis audit
 Vsq; sonos, laudes audiat usq; tuas.
 Jam Cyprus aeterno, iam te Gnidus alta, Paphusq;
 Inclyta, odorati turis honore colat.

Dum

DUm puer Idalius pharetra præcinctus, & arcu,
 Coniicit ardentem regna per ampla oculos:
 Aspicit undantes per colla argentea crines,
 Luminaq; aeterna lucidiora face:
 Flammeolasq; genas: nitidum mage pectus eburno
 Dente, & purpureis guttura picta rosis:
 Obstupuit splendore nouo, atq; exterritus hæsit
 Obtutu: ambiguus quæ noua Diua fores.
 Deinde Deum monitis causas aperire rogatus,
 Et dubia indicium promere mentis, ait.
 De forma dum tres ineunt certamina Diua,
 Iudice Troiano pulchra magis genitrix.
 Iudice me si eadem renouent certamina, forma
 Maiestas uni huic conuenit illa trium.

Qualem purpureo diffundit flore colorem
 Quæ matutino se rosa rore fouet:
 Qualis pulchra rubet croceis Aurora quadrigis
 Cum nitidum roseo promit ab axe diem:
 Tale iubar terras splendore insignit, & astra:
 Ambrosiam quoties exeris ipsa comam.
 Sol si deficiat magno quo nititur orbe;
 Tu magno lucem Solis in orbe feres.

IO. MATTHÆI TOSCANI.

ECce mihi lassanda nouo sunt barbita plectro,
 Atque suo maius carmine surgit opus:
 Tu Dea, tu Paphij cultrix Amathuntia ruris
 Apta, precor, vati suffice verba tuo:
 Et, dum celestis facio præconia forma,
 Subde calefactas in mea corda faces.
 Et mihi melliflui partem concede leporis,
 Excutis Odrysis quo sua tela Deo.
 Non ego grandiloquos versus, sed carmina quero
 Dulcia, materia conueniente modis.
 Ergo Dionea præcinctus tempora myrto
 In laudes venio, Diua COLVMNA, tuas.
 Vnde mihi cæpti surget sed carminis ordo?
 Quæ prius, vel quæ posteriora canam?
 Nanq; ego si quantum nostro sub pectore miror
 Ingenij, & formæ munera rara tuae,
 (O decus, o cui mulier laus unica nostri,
 Inuidia sacris causa futura nouis)
 Tantum felici possim depromere versu,
 P'eq; tuas laudes ingeniosus eam:
 Aethiopas algere, Scythas ardere videres
 Nobilis Eois, nobilis Hesperis.
 Laudibus at tantum distant mea carmina veris,
 Est mihi quàm toto pectore lingua minor.
 Nanq; tuo quoties defixi lumina vultu,

Laudan-

Laudandi causas miror adesse nouas.
 Et siue intueor vincentes sydera ocellos,
 Materies libro solus ocellus erit.
 Siue cies molles sedantes aëra risus,
 Risus erit versu dignus, Homere, tuo.
 Dulcia purpureis seu promissis verba labellis,
 Tum verò ambrosias spargit Hymettus opes.
 Quid referam aureolos, dignos vel Apolline crines?
 Quidue pedem, qualem vellet habere Thetis?
 Ista etenim (quanuis & sunt hæc maxima, quæq;
 Empta sibi magno qualibet una velit)
 Attamen, o merita quæ sunt hæc portio laudis?
 Et quàm sunt aliis ista minora bonis?
 Munera quis referat, fuerant quæ singula raris
 Præbita, sed nullis, ut tibi, cuncta simul?
 Numina cum proprias certarint sancta vicissim
 Nascenti dotes accumulare tibi:
 Cypria formosam, sapientem dedala Pallas
 Esse tibi (nec iam pensa, colūmne) dedit.
 Juno fecit opes, & maiestatis honorem,
 Et dedit è prima nobilitate genus.
 Te Charites, te castus Amor, Peithoq; sodalem
 Adiunxere sibi, Pieridumq; chori.
 Deniq; quicquid erat toto laudabile Cælo,
 Hoc voluit munus Juppiter esse tuum.
 Ergo etiam merito transacta tibi inuidet ætas;
 Miratur presens, posteriòrq; canet.

L IO.

IO. BAPTISTÆ FERRARIJ.

Antiqua valeat, quarum vaga fama per orbem
 Peruolitans nomen tollit ad astra, nurus.
 Namq; harū superat claros HIERONYMA honores,
 Cui peperere olim sacula nulla parem.
 Diuitisq; potens, & auorum sanguine clara est,
 Nec minus illustri nobilitate animi.
 Namq; ipsa ingenuas tractas feliciter artes,
 Decedant omnes ut tibi, Diua, viri.
 Non situs informis premet hanc, non longa vetustas
 Annorum spatii obruet innumeris.
 Sed donec clara lucebit lampade Titan,
 Lunāq; nocturnis clara uehetur equis,
 Viuet: & aeternum extendet per sacula nomen,
 Lethaas fugiens viuida semper aquas.
 O felix mulier, memorabilis omne per auum,
 Inter caelestes commemoranda Deas,
 Perlege nostra (precor) lato hac praconia vultu,
 Immensis meritis inferiora tuis.

BERNARDINI TOMITANI,

IN DETRACTOREM.

INuide quid mordes? in nos quid lumina torques?
 Et cupis in lepidos Cerberus esse iocos?
 Tu procul hinc Stygiis potius pete Tartara regnis,
 Orci inimica lues, Manibus atra lues.
 Illic tu caudam tetro sub ventre reconde,
 Latratūq; animas tergemino excrucies.
 Non te Phœbus amat, non dia lucis imago,
 Sed noctis tenebra, Ditis & umbra nocens.
 Te nihil aduersus moliri triste poetas,
 Et Vates sacros Juppiter ipse dedit.
 Orpheus hinc testis, potuit qui pectine eburno
 Et petere infernos, & remeare lacus.

L 2

P O E M A T A
A D R I A N I
B U R C H I I.

A D L E C T O R E M .

Nempe etiã versus & nostra poëmata quisquam
Perleget, ac parui nominis author ero ?
Non ita ; nos nobis & nostris carmina musis
Scribimus, hæc vltra limina non abeant.
Laudis avaritiam fugimus : sed siquid amicos
Fortè iuuant, legat hæc quisquis amicus erit.

L 3 RE-



REVERENDO NOBILI AC
DOCTO VIRO LAMBERTO
vander Burch fratri longè carissimo.

Quærenti mihi; quem leuidensæ munere donem?
Quemque legam exiguo patronum forte libello?
Mox subiisti animum frater carissime: nempe
Tu solitus nostras alicuius ducere nugas:
Ergo cape integro profectum pectore munus,
Sincerique manens erga te pignus amoris.
Sunt, scio, qui inuitis Musis & Apolline nati
Contemnunt leuia hæc, & nil nisi Stoïca laudant:
Sed sanè ignorant quantum laudanda poësis
Et res ingenuo digna sit ingenio.

AD

AD CAROLVM SIGONIVM.

Qui te non norunt spatio prohibente locorum,
Docta tui ingenij sed monumenta legunt,
Multis defunctus, multis atate Sigoni
Obrutus, atque annis crederis esse grauis.
Nam dum perspiciunt à quanto tempore fastus,
Et quanta reliquos scripseris arte libros,
Vt nil maturum magis aut perfectius illis,
Vtiliusue scholis omnibus esse queat;
Mirantur, nec posse putant iuuenilibus annis
Tam exactos fœtus perfici ab ingenio.
In natis veluti contingit, nempe parentem
Demonstrat cum vir filius esse senem.
Bononia 1569.

AD RICHARDVM VITVM
ANGLVM DE IPSIVS IN
Vetus ænigma interpretatione.

Aelia quamam esset, quæ Lælia, nouerat antè:
Nemo, sed obscuris nomina rebus erant:
Quæq; legebantur nodosi anigmatis instar,
Qui rectè potuit soluere nemo fuit.
Tu modo Vite horum nobis arcana recludis
Ingeniūq; facis lumine clara tui.
Certè quisquis is est illorum incognitus auctor,

Mentem

*Mentem hanc, si posset, diceret esse suam.
Pro domino tamen hoc res ipsa & verba loquuntur,
Admotâq; magis iam sibi luce placent.*

AD TVRRIVM DE INFORTVNIO SVO.

Nuper ut extremum vale dicto ad docta redibas
Mœnia Bononia Bentivolâsq; tuos;
Mox quoq; conscenso te discedente caballo
Ad Patavi sedes ingrediebar iter.
Jâmq; Vicentinis muris atq; vrbe relicta
Tangebam media cum prope signa via:
Accipe tum fato quàm me fortuna sinistro
Terruit, & dura carmina sortis habe.
Dum lento nimium gressu procedit, inertî
Visum est (quo properet) subdere calcar equo.
Ille, vel intenso constricta frigore terra,
Vel mihi quòd valde sors inimica foret,
Procumbit genibus flexis, nec me, nec habenas
Audit, at obtusa pectora mentis habet.
Quòq; magis pungo, tanto minus ille mouetur,
Atq; ad clamantis surgere verba negat:
Imò prosternit sese, subiectâq; dorsi
Me simul euerso pondere membra premit.
Quid facerè? maneant sua quemq; ut fata reuoluens,
Rebar inoptata mortis adesse diem.
Nam me queis possum socios dum ponè sequentes
Compello

*Compello signis, auxiliûmq; voco;
Bis sese voluens geminato errore caballus
In foueam inuitum præcipitemq; trahit.
Accurrunt socij, casumq; insontis amici
Intuiti, miserum qua licet arte iuuant.
Ast ego villosò tacita ora premente caballo
Vix poteram solitis promere verba modis.
Auulso tandem tanto pressore, resumpsi
Vires, meq; ab aquis fortiter eripui.
Atq; ita per socios genioque fauente secundo
Euasi vitæ proxima damna mea.*

RICHARDO DISTRESIO LAVREAM
DOCTORALEM ADEPTO.

Doctoris titulo, medica te nuper in arte
Donatum falso dicitur à medicis;
Non quia quòd tanto sis insignitus honore
Clam sit, plus illa est quàm manifesta fides:
At nummis sophia, magnisq; laboribus emptum,
Non volo gratuiti muneris esse loco.
Res magna est, maius pretium, tu creditor; illi
Quod debent soluant, laurea iure tua est.

AD NICOLAVM DRVMESIVM.

Drumesi, mirum quibus es malè notus habetur
Quòd te Laura suum tam vehemèter amet:
M Aut

*Aut quòd dura aliis tibi sit placabilis, atq;
 Currat in amplexus Jana superba tuos.
 Forma venusta tibi est; perpulchri corporis artus;
 Ornatum raris dotibus ingenium:
 Dulce canis, suauiq; sonos cum murmure misces
 Organicos, qui vel saxa mouere queant.
 Tam bene cum cantes, cum saltas, cum omnia praestes;
 De te nil mirum est utraq; si pereat.*

AD AVLV M.

O *Mnia te dicis facturum, nilq; daturum:
 Hoc tantum sed quod das nihil Aule facis.*

DE EODEM.

Q *Uando inter lepidos domi sodales
 Fortè liberius iuuat vacare
 Baccho latitix deo datori,
 Et leuare animum dolore mæsto,
 Tristem contrahit Aulus usq; frontem,
 Horam nec dare vult rogatam amicis;
 Nunc causans nimiam celebritatem
 Festi, nunc loculos parum tumentes:
 Idem (nescio quo calore motus)
 Totis continuis tribus diebus
 Indulsit genio leui in taberna,
 Symbolumq; libens lubensq; soluit.*

AD

AD LAVRENTIVM GAMBARAM.

G *Ambare quando tuos versus & carmina laudo,
 Nil ago: iudicio maior in arte meo es.
 Sunt laudata satis qua laus laudat aq; laudant
 Quaq; suis numeris, res manifesta probat.*

AD LAMBERTVM HORTENSIVM DE
COMMENTARIIS EIVS IN LVCANVM.

N *Uper barbarico furente Marte
 Te tuosq; nimis ferox fberus
 Laferat miserè ac calamitose;
 Sed tu non memor huius, expolisti
 Ornastiq; lubens poëtam fberum.
 O mentem ingenuamq; amabilemq;
 Quae iam oblita diu mali recepti,
 Illi qui nocuit bonum rependit!*

AD LVCIVM FRVTERIVM
BRVGENSEM.

A *Nte vale dicto placidis pro tempore musis
 Et longam iussis versibus ire viam,
 Impensè sacras leges & iura sequebar,
 Ac fere quem legerem Bartholus unus erat:
 Nunc ego quòd rursum studia ad semota reuertor,
 Factum carminibus suspicor esse tuis.
 Quae tu dum recitas Luci doctissime, nec non*

M 2 Magni

*Magni Nasonis versibus aqua facis:
Nescio quo prater consuetum ardore laboro,
Et videor plenus numinis esse noui.*

LVCIVS FRVTERIVS ADRIANO

BURCHIO.

I*ngratum gratumq; mihi proponis amorem
Qua fieri hoc Burchi conditione potest .
Gratus amoris amor, gratus quoq; Burchius, ille
Ingratus mihi amor quem tibi charta facit .
Non id amicitia Pylades orauit Orestem,
Ne dubiam facerent ille vel ille fidem:
Tu facis hoc Burchi dubio non motus amore ;
Sed quia mos fieri pro ratione iubet .
Atq; ego more utor, scriptoq; in amore relinquo
Me tibi, tu in scripto me fac amore colas .*

ALIVD.

S*cilicet in scriptis amor inconcussus amici
Delitet, atq; animi est indicium ipsa manus.
Tu tamen hoc Burchi dici cupis atq; videri,
Depugnascq; istis rebus inesse fidem.
Ast ego non pugno tibi: tu qui vincere nosti
Fruterium, vinci turpe in amore puta.*

AD

AD COLLETAM.

O*uia si quando mihi sis Colleta, recurrit
Et vires subitas flamma sepulta capit:
Ne tam crudelis posthac me poena sequatur,
Alterutra liceat conditione frui:
Aut una ut saltem possim te nocte potiri,
Aut sis numquam oculis conspicienda meis.
Sed quando ut potiar prohibent, te sacra mariti:
Ne mihi sis ullo praterenda loco.*

AD IANAM PHARMACOPOLAM.

D*ulcia cum vendas, cur non & vendis amorem?
Primas in rebus dulcibus ille tenet.
Aut eadem gratis quando concedis amicis,
Cur non das qua dat munera dulcis amor?
Dulcia mella placent, sapiunt decocta palato:
Pharmaca qua prabet vestra taberna iuuant.
Vnum si vendas simul aut donabis amorem,
Nil poterit maius mercibus esse tuis.
Nam multi veniunt, ut emant quod vendere non vis:
Inuiti sed qua pharmaca vendis emunt.*

AD EANDEM.

P*ulchra es, dulce canis, cithara ac testudine ludis,
Et mirè docta stamina pingis acu:
Cum tam sis prudens & circumspecta puella,
Certè appellari non malè lana potes.*

M 3

AD

AD EDOARDVM DILPHVM ET
GVILELMVM VERDVNIVM

Bononia discedentes.

Dilphe & Verduni caro mihi foedere iuncti
Atque immortalis iure sodalitij,
Non ego vos linquo; neq; enim vos linquere possim
Ni cupiam magna parte carere mei:
Absens corpus erit, sed prasens mens animusq;
Me potius quam vos linquere sustineant.

AD TERANNIVM

ΦΙΛΑΥΤΟΝ.

Quando salutaris Teranni, non resalutas,
Et nudare caput magnum onus esse putas.
Certè non onus est, sed honos: at tu nec honore
Dignus, qui quod honos, hoc graue credis onus.

AD EVNDEM.

Prolixam ob barbam tibi quòd spaciosaq; frons est,
Credis te doctum & plus aliis sapere:
Erras, ignauo buboni frons quoque larga est,
Atque etiam est olidis pendula barba capris.

IN

IN TVMVLVM FRANCISCI
ROBORTELLI PRIMARII IN ACADEMIA

Patauina literarum professoris.

S Robortellum tegetet cum robore tellus,
Causa dolendi esset iustior & grauior.
At mors seua nequit animi prosternere vires,
Praclaròue valens robur ab ingenio.
Debita telluri tellus erat, atq; ita nomen
Diuisum, velut est, in duo fissus homo.

VLISSSES COLOREDVS FORO-

IULIENSIS ADRIANO BURCHIO.

Candidissime & optime Adriane
Sic sermo tuus Attico lepore
Conditus, lepidiq; & elegantes
Mores, sic tua comitas benigna,
Ceperunt animum meum atque mentem;
Vt te non minus ac meos ocellos
Amem, nec genitrix benigna natam
Tantum amare tenellulam, unicamq;
Solet, te tuus uti amat sodalis.
Nec mirum: quis enim magis te amari
Sit dignus? Cytheriades puella
Quem cunctis mage diligunt poëtis.
Quod si dij superi dabunt Vlisssem

Mutuo

*Mutuo ipse ut ames amice amore,
Sim beator omnibus beatis.*

Patauii .17568.

ADRIANVS BURCHIVS VLISSI

COLOREDO RESPONDET.

CUr Alcibiadem paterno amore
Socrates coleret, rogatus olim
Responsum dedit ille: quod putaret
Magno consilio, sub expolita
Corporis specie, & placente forma,
Perbellum ingenium deos locasse.
Hoc idem tibi, quod si quem rogabis
Cur te plus reliquis suis amicis
Fraterno colat, aut paterno amore;
Respondere potest diserte Ulisse.
Nam sicut Cytherea te venusta
Formam participem suamque fecit,
Sic rarum ingenium bonis Minerva
Dotibus decoravit, & sorores
Dilectum Aonia fouent alumnium.
Testatum faciunt id eruditi
Versus mellifluisque & elegantes
Quos amicitia mihi dedisti
Testes: Omnibus hi modis placebant,
Et tamen quoque saepe displicebant.

Qua-

*Quanam id conditione Vlisse verum est?
Quod docti & faciles eò placebant:
At quod non meritas mihi referrent
Laudes, hac ratione displicebant.*

DE EUPHRASIO ARISTOTELICO.

EVphrasius dextrè nodosa enigmata soluit,
Quodque queat contra dicere semper habet.
Nec mirum; totum docto cum pectore clausum
Patronum sophia gestet Aristotelem.

DE CANE LYDIAE.

DVm vixit timidos latratu prodere fures
Atque vagos scurras unica cura fuit:
Sed (gens grata) proci ad dominam cum fortè veni-
Furtivi oratenens fautor amoris erat. (rent,
His hera de causis & herus hunc semper amarunt:
Sic placuit domino, sic placuit domina.

DE IVLIA.

Iulia formosas inter speciosa puellas,
Quam tot formosi deperiere proci:
Dum praebet faciles stultis monitoribus aures,
Et fictis inhiat credula diuitiis:
Ignoto sociata viro, non dissolvienda
Infausti subiit vincula confugij.

N Hinc

*Hinc dolet, & serò occurrit sententia vatis,
Siqua voles aptè nubere, nube pari.*

IN OBITVM MARIÆ N. PVELLÆ

VENVSTISSIMAE.

Lugete ò Veneres Cupidinesq;
Mortem perlepidæ meæ puellæ,
Quæ cunctas potuit suauitate
Morum atq; ingenij sui vigore
Virgines superare, quæ anteire
Tantum, quantum alios honore cursus
Fertur præterisse equos citatus
Pegasus. fuit illa grata cunctis
Quæis virtus, probitas & elegantis
Dotes ingenij suere cordi.
O dura atq; nimis superba fata
Quæ mihi his oculis amatiorem
Florem virginæi chori abstulistis!
Vnde & flent miseri tuméntq; ocelli
Ereptamq; sibi, si fortè uiuat,
Multo cum gemitu vocant Mariam:
Illa autem Elysiis potita campis
Non audit gemitus, nec eiulatus,
Sed spernit iuuenum vagos amores,
Ac curas hominum beata ridet.
Vos mecum (quid enim magis dolendum?)

Lugete

*Lugete ò Veneres Cupidinesq;
Mortem perlepidæ meæ puellæ.*

AD BELLAM.

BAsium mihi quando das, coactum
Te dicis dare Bella, nec recusas
Tamen; da mihi sic amica noctem,
Et dicas dare te licet coactam.

AD ANTONIAM.

VT sit nigra tibi facies Antonia, & ut sit
Qui locus in gremij delitet ore niger;
Omnibus una tamen quòd sis pulcherrima mens est,
Formaq; vix similis dicitur ulla tuæ.
Quare hoc? quòd color is sit constantissimus, & quòd
Hic soleat Veneri perpetua esse domus.
Ergo quæ sequitur de te sententia vera est,
Et quam iure bono non neget ipse Paris.
Quod quàm nigra diu, tam diu formosa manebis,
Candidaq; haud facie, at moribus, ore, fide.

DE PVELLA PISTRICE.

PAnes vendere vult puella pistrix,
Et clamat calidos, bonos, recentes,
Omnes ut veniant suam ad tabernam.
Verùm & se calidam bonam & recentem,

N 2 Omnes

*Omnes si venient suam ad tabernam
Simul vendere vult puella pistrinx.*

AD VITAM.

*Vnica vita mea es dulcissima vita, quid ergo
Mirum, cum procul es si miserè morior?
Et cum vicina es, morior magis. at mihi longè
Mors quam vita tamen gratior illa venit.
Jungamur, capiere simul dulcedine mortis,
Et cupies mecum candida vita mori.
Mors etenim vitam, mortem mox vita sequetur:
Mutuus hæc nos in prælia trudet amor.*

AD EANDEM ÆGROTANTEM.

N*on rectè mea vita vales, graviterq; laboras
Qui valeam; quod si non bene vita vales?
A gemino mihi pœna malo, te febris iniquè
Urit; sed malè me febris & ignis habent.*

AD LAMBERTVM BVRCHIVM

FRATREM BRVGIS DISCEDENS.

F*rater delicia tui Adriani,
Hoc te delicia tua Adrianus
Fraterna modo voce deprecatur,
Ne tangant animum tuum dolores
Quod frater spatio breui locorum*

Separat-

*Separatur. at unde separatur
Dixi? quin magis hoc magisq; iunctos
Nos nostros animosq; continebit.
Hæc solent alios mouere, sed nos
Non possunt loca separare. Nam quid
Per deos magis est amore nostro?
Cum nos Ætala terra diuidebat,
Et tot millia utrimq; segregabant;
An putas animum meum abfuisse;
An putas animum tuum abfuisse
Me putasse? nihil minus, sed ille hunc
Atq; hic continuo videbat illum.
Et nunc cum duo nos diurna scindent,
Belgicaq; simul fouemur aura;
Communis patria bonis fruentes,
Inuadent animum noui dolores?
Si me parte mei bona carere
Non credis, mediūmne proficisci;
Credes unanimum mihi te adesse;
Credes unanimum tibi me adesse:
Nam tu pars melior tui Adriani
Lamberti bona pars sui Adrianus,
Hoc si frater amice cogitabis;
Non tangent animum graues dolores.*

N 3

AD

AD HYMENVM.

Accipe consilium facili quò tramite possis
 Sæpe recurrentis pellere damna mali:
 Hellebori sumas aliquid, Bacchumq; relinquas
 Cum fumis, tumidam leniet hoc rabiem,

AD TELESINVM.

AN mirum tot cur habeas Telesine clientes?
 Lis te patrono perdita nulla fuit.

AD SAPIENTER STVLTVM.

SVnt qui te stultum, sunt qui dicant sapientem:
 Tu non vis sapiens esse, sed insipiens.
 An non hoc sapere est ut litem vincere possis,
 Quæ malè fecisti ascribere stultitiæ?

DE EODEM.

Ljs agitur, qua stultitiæ velo cupit actor
 Restitui, stolidum sed negat esse reus.
 Plurimâq; in promptu sunt argumenta, sed illud
 Præcipuum; quod si perdat erit sapiens.

DIFFICILE QVIBVSDAM SILENTIVM.

SI taceo doleo; res est suspecta perinde
 Si loquor, & multum verba timoris habent.

Quam

*Quàm vellem tacita qua mente animoq; reuoluo,
 Sic tacitè à cunctis & sine voce capi.*

PHILIPPVS MORVS ADRIANO

BVRCHIO.

TE quoq; nostra canat felicè Hadriane cerebri
 Musa, caput quamuis tot rerū obstrictè capistris
 Iugera perdiderat misera vicina Batavia,
 Flebat & orbatos Traiectum nobile campos
 Ruricolis miseris, lachrymis cum tristis obortis
 Ite leues procul hinc, dixi, proculite Camæna:
 Flere decet patriæ excidium, patriæq; penatum
 Orbis delictum quondam, qua sordidus altè
 Luxuriat miles alieno diues in ære.
 Ergo super salicum pendete ò nablia ramos,
 Et vocem retinete lyra, singultibus ora.
 Turgida perpetuos titubanti murmure questus
 Edant, raucisonis sint questibus omnia plena.
 Quò retrabis me Hadriane potens sed pectinis aurei?
 Te resonare lubet, dulciq; tua auspice Musa,
 Aeolis numeris animi releuare dolores.
 Ergo redite leues, dulcesq; redite Camæna,
 Tuq; Hadriane mei non infima gloria plectri
 Siue ades, & mecum Phæbi facunde sub antro
 Auratam moderare chelim, patriæq; ruinam
 Et questus dulci scribamus carmine ventis.

RE-

RESPONSVM ADRIANI BVRCHII.

MOre qui facile fluente vena
 Fundis versiculos Marone dignos,
 Dignos Ouidio, & meo Catullo,
 Te dignum tibi nostra quid Camæna
 Reddat? difficile fluente vena
 Quæ torpens iacet atq; conticescit,
 Hæc tecum patriæ grauem ruinam,
 Orbatos miseris agros colonis,
 Pulsos ruricolæ casis paternis,
 Belliq; assiduos domi furores,
 Si narrare velit, nihil profectò
 Egerit: nec enim canet decenter
 Tristem materiam grauemq; musa
 Latas scribere res leuèsq; sucta.

CANIS A DOMINO TRVCIDARI

I V S S V S.

DUm licuit domini assiduus custòsq; comèsq;
 Fidos inter eram gloria magna canes:
 Sed postquam senio confectus, sordidus esse
 Incepi, & me omnis gratia deseruit;
 In contemptum abij, dominusq; nihil memor acti
 Olim seruitij, me quoq; deseruit.
 Quin etiam ante diem fato mulctauit amaro,
 Et percussori præmia larga dedit.

Quid

Quid precer ingrato domino, nisi ut omnis in illum
 Turbaruat pariter luxuriosa canum:
 Et totum bene permingant, à morsibus autem
 Abstineant. durus non nimis esse volo.

DE PVELLA QVÆ CLAVES AMISERAT.

Clauibus amissis lacrymas effundit amaras,
 Et furti aurigam suspitione grauat.
 Condolet Euphrasius caræ miseratus amicæ,
 Merorèmq; grauem qualibet arte leuat.
 Illa nihil contra, sed (helas) exclamat amice,
 Quin potius causa sit tibi cura tua.

AD RHODIAM DE SOMNIO.

Hesterna suavi dum nocte sopore tenebar,
 Et somni obscuro carcere clausus eram;
 Nescio quæ lato mihi de te somnia mentem
 Implerunt lepidis innumerisq; bonis.
 Dicere si fas est, certè vicina iacenti
 Et lateri visa es conseruisse latus.
 Gaudebam, Veneriq; mea pia sacra parabam:
 At docuit falsus quàm fuerim orta dies.
 Nam postquam sensus à somno aurora resoluit,
 Inueni steriles & sine fruge iocos.
 Verùm quicquid id est, me delectare videtur;
 Et miserum, non tu, at fumus & umbra iuuant.

O DE

DE CORNELIA.

Corneliam quòd amē, vel amet Cornelia quòd me,
 Tā mirū est quān quòd corpora ament animas.
 Corpus ego, illa anima est; eadem mox corpus, ego idem,
 Mox anima: anne amor hoc mutuis omne facit?

DE QVODAM PLVS ÆQVO GRAVI
 ET PAUCILOQVO.

Quidam fatidici Vatis & Apollinis instar
 Nunc oculos, nunc ora mouens frontēq; coërcens
 In multam postquam traxisset fercula noctem,
 Mira cum grauitate duo aut tria verba locutus,
 Secessit tumidus, multo vinóq; repletus:
 Anne grauem hunc verè dicas & pauca loquutum?

AD CORNELIUM AQUANVM MANVS
 NOTAM POSCENTEM.

Inter tot tantósq; viros in qualibet arte
 Precipuos, quonam ponar Aquane loco?
 Qui licet in minimis fuerim pars parua poëtis,
 Nunc tamen (inuito me) mea musa iacet.
 Inter tot inquam presentis lumina sacri
 Queis claret tanquam Belgica numinibus.
 Quin potius longo positus post interuallo
 Horum admirator (si patientur) ero.

EX PRÆFATIONE SALVSTII.

Sf qui homines superare student animantia bruta,
 Illud conari debent, nitiq; supremè
 Ne tanquam pecora in terram procliuia quaç;
 Natura ignauo ventri parentia finxit,
 Obscuram ducant per muta silentia vitam:
 Constat enim rebus vis omnis nostra duabus;
 Corpore nempe animóq;: obediunt iussibus huius,
 Vtimur obsequiis illius: corporis usus
 Cum brutis nobis communis; mens animúsq;
 Cum diuis: Quare longè prestantius amplam
 Auxilio ingenij viuacis querere laudem,
 Quàm vanis niti membrorum viribus: & cum
 Qua fruimur sit vita breuis, feruente labore
 Hoc agere ut numquam moriturum linquere nomen
 Possimus: Nam forma & opes sunt fluxa, caduntq;
 At virtus aeterna atque immortalis habetur.
 Verum anceps fuit antiquis, varièque agitata
 Questio, Militia in rebus corpúsne valeret
 Plus, an verò animus? Nam nil tentare priusquam
 Consilium dictarit; ubi dictarit, idem mox
 Perficere, & fini mandare decet sapientem.
 Sed certè corpus mentis, poscítq; vicissim
 Corporis auxilium mens, & coniuuat amicè.

S A T Y R A .

O Quantum est hominum cæco liuore tumentum
 Quis animus, oculiq; dolent, macrescere suetis
 Alterius res quando vident feliciter ire
 Méne putas? tunc istud ais? ò subdola Iani
 Bifrontis facis, quotiens in pectore tectis
 Irarum stimulis, aliquem appellare sodalem
 Non puduit, quoties porrecta est dextera eidem.
 Fugit prisca fides, seruatq; patribus olim
 Integritas, & nullius nisi conscia recti
 Aetas, iamque dolus, fraudes, morésque bidextri
 Successere, locóq; noua virtutis habentur.
 O simulatores fallax genus, ut mihi bilem,
 Ut mihi saepe iocum vestri mouere cachinni!
 Estne tibi rectè? valet uxor? & utraq; proles,
 Num superest mater, num sunt sine coniuge natae?
 Hinc ubi quasi capta est sermonis origo,
 Ad res inde nouas itur; quibus ordine dictis
 Auditq; operam atq; fidem promittit amicus,
 Disceditq; , ubi mox populosa ad compita ventum est
 Vel fora, vel sacras ades, patulasue tabernas;
 Est iocus, elusi famam proscindere amici:
 Ille tenax nimis est, hic cœnat largius equo;
 Diuitias alius alieno comparat ere,
 Pròq; opera poscit multo plus quàm licitum sit.
 Hic sibi commissio male munere fungitur, ille

In

In patriam & ciues est importuna locutus:
 Pellatur potius quàm ciues prodat & urbem.
 Fabula fortè venit, dubius premit ora tacetq;
 Ascalaphus, nudato vertice prater euntem
 Comiter & blandè ficto sermone salutans
 Scilicet Italicum hoc: Ubi te quem Roma nec urbes
 Italia videre unquam id didicisse putabo?
 Vicinus nimium ni pons pistorius illud
 Edocuit, pulchra & promouit in arte magistrum,
 Vti nempe foro & perbellè viuere laus est;
 Erras & nescis quid homuncule postulet equum.
 Deme oculis nubem fucorum, & pone bifrontem
 Vertumni faciem, palamq; an amicus an hostis
 Sis, ostende; virum decet hoc rectumq; probumq;.

IN OBITVM CLARISSIMI VIRI
 GEORGII RATTALLERI CVRIAE
 Ultraiectinae Præfidis.

TE meritò proles flent & dolet uxor ademptum
 Rattallere tua gloria magna domus.
 Teluget quicquid Phœbo Musisq; dicatum est,
 Et quicquid leges sacrâq; iura colit.
 Nam quoquò aspicias ita te doctrina bearat,
 In variaq; fauens duxerat artis opus;
 Ut non vnius fueris laus summa Senatus,

O 3

Ac

*Ac pracellentis primus honore toga.
 Sed quid agant? superanda grauis iactura ferendo est;
 Nec suprema potest ire redire dies.
 Unum est quo debent animi lenire dolorem,
 Atq; leuare graui pectora mastitia:
 Quòd mundo ereptus miseri contagia saeli
 Fugeris, & quicquid tristia fata trahunt.*

HVMNVS DE NATALI IESV CHRISTI

AD DOMINVM GERARDVM AMIERLO

Cœnobij Paulini Archimandritam.

S Alue dies notabilis,
 Veniq; lux amabilis,
 Qua nulla mundo gratior
 Ex mille fulsit millibus.

*Qua summus author omnium,
 Mundiq; formator Deus
 Misertus humana vicis
 Iram remisit asperam:*

*Nasci volens ex nobili
 Christum Maria virgine,
 Peccata mundi ut abluat
 Hominésq; conciliet sibi.*

Patrum

*Patrum iacebant agmina
 Prostrata Adami crimine
 Ad sempiterna gaudia
 Aditu patente nemini.*

*Sed tanto amore ferbuit
 Summus parens, ut unicum
 In orbis arumnas graues
 Dare sustineret filium.*

*O quàm stupenda caritas
 Signumq; (quo praclarior
 Videre nunquam sacula)
 Dilectionis inchoat!*

*A filio unico pater,
 A patre natus unicus
 Discedit, ut mortalibus
 Vitam perennem conferat.*

*Nempe is genus mortalium
 Solus leuare maximo
 Medicus valebat criminum
 Cui subiacebat pondere.*

*Solusq; magni praelij
 Sedator electissimus
 Et pacis & concordia
 Fœdus perenne ponere.*

Audita

*Audita vox est suauiter
Denuntiantis angeli,
Summo Deo in altissimis
Perennis esto gloria.*

*Illisq; terra quos habet
Qui prater equum nil volunt,
Pax & perenne gaudium
Mentisq; sit concordia.*

*Vos qui furori Martio
Totis studetis viribus,
Pulsoq; amore proximi
In bellum & arma curritis.*

*Quibus iocus conciuuium
Temere cruorem fundere,
Odiq; privati grauem
Repente pœnam poscere :*

*Stimulos furoris mittite,
Fugiat procul discordia,
Ad vindicandum pronitas
Uexet Scythas & Barbaros.*

*Exempla nos Christi decet
Quo militamus auspice,
Vitâq; in omnibus sequi
Rectè volentes proximo.*

Sic

*Sic pacis & concordia
Quam nuntiauit angelus
(Ad gloriam nati Dei)
Fruemur aeternum bonis.*

*Tu Praesul hoc munusculi
Quodcumque eo quo mittitur
Amoris in te symbolum
Animo benignus accipe,*

*Ineuntis anni tempore,
Qui faustus ut porro fluat,
Ac faustiores proferat
Precamur unicum Dei.*

AD ZOILVM.

*S*nasute tuo nihilum de more remittis,
Vel de carpendi (quo cluis) officio,
Nili tibi quod laceres aut nigro dente laceffas
Hic deerit, stygiis quodue petas stimulis.
Nam si magna tuos nequeunt euadere morsus,
Quâ parua hac cautis nexibus effugiant?

P

AI

LECTORI.

QVONIAM in Miscellaneis hisce meis poematibus secundoloco (quem epigramma ad Richardum Vitum Anglum occupat) mentio fit veteris cuiusdam ænigmatis seu epitaphij, libuit hoc illis subiungere, ut alij quoque quibus otium ac ingenium est idem coniectura (si modo assequi queant) explicent. Quod quidem Bononiæ porta Mascharella egredientibus primo ab vrbe lapide in vilula Marci Atonij de la Volta sese offerens per vetustum esse, literæ in marmore nonnullę diurnitate temporis situque & quasi rubigine corrosæ satis indicant.

D. M.

*Aelia Lalia Crispis, nec vir, nec mulier,
Nec androgyna, nec puella, nec iuuenis,
Nec anus, nec casta nec meretrix, nec pudica,
sed omnia,*

*Sublata neq; fame, neq; ferro, neq; veneno,
sed omnibus,*

*Nec calo nec aquis, nec terris sed ubiq; iacet
Lucius Agatho Priscius, nec maritus nec amator,
Nec necessarius, neq; mærens neq; gaudens
Neq; flens, hanc nec molem, nec Pyramidem
Nec sepulchrum,*

sed omnia

Scit & nescit, cui posuerit

*Quod sequitur Acroama extricandum relinquitur iis,
quibus ab re sua tantum est otij, ut aliena magis curent,
quàm propria.*

T. D.

*Viator ausculta. Tullia Alterocha,
nec à deo creata, nec genita à natura, nec orta à se,
Initium nuptiis inter duas Sorores faciundis fuit.
Quarum iunior, vir formosus post apparuit.
Tunc omnes præ gaudio tripudiare,
ducensq; uxorem domum vir
in conuiuio querit Alterocham.*

*Hac nusquam visa, Ego Cassius, Panos amicus
et auladus huc protinus exilui.*

*In trivio dubitans quamam iuerit via,
te viator oro, si videris, redire iube;
nec ad me, nec ad conuiuatore, nec ad te, si sapias,
nisi meliorem fortunam attulerit.*

*Semper enim aliquid affert noui:
gaudens ruinis, mutansq; nomina rerum:
ab eis & antequam incepta, & cum perfecta sunt,
Idcirco multi illam esse, plures non esse dicunt; (absens
nonnulli nihil, aliqui aliquid videri,
quod quæ non sunt, esse: quæ sunt, non esse faciat.*

Eam cum nemo desideret, omnes tamen sequitur.

Tu, qua opus non habes, scire ne labora:

De ipsa, si occurrit, quid sentias expecto.

Interim in hanc sylviam, dum redis, me abdo,

Viator. hoc acroama tecum pressè cogita.

Sic tibi faueat Apollo. Mercurius ducat.

ODE

ODE NVPTIALIS PHILIPPI MORI IN

GRATIAM ADRIANI BURCHII ET

Corneliæ Grapheæ Cal. Octob. 1570.

Quid me solutis Delphice crinibus,
Et tu virago progenies Jouis
Puerperi, non v̄sitato
Verba loqui socianda chordis

Vultis furore? compositis tuæ
Corneliæ seu Pallas amoribus
Intonse Cinthi gratulari;
Siue tui libet Hadriani:

Non ille ego sum, qui facili feror
Penna biformis per liquidum aëra
Poëta, carminis vel arte
Qui stygia cohibebor unda:

Sed Musa cogit sub iuga abenea
Cantare flammæ me geminas, Pythi
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos resonante plectro.

O ter quatérq; sponse beate, cui
Cupitus ardor in geminis modo
Quiescet vlnis, auiterno
Vel Jone digna viro puella.

O ter quatérq; sponsa beata, cui
Phæbi venustus effigie magis

Zonam diu soluet ligatam
 Impanide iuuenis pauenti.
 Hymen vocatus alite sed bona,
 Cinctusq; olentis tempora floribus
 Adest amaraci qua te altam
 O Hymen, o Hymenae tadam.
 Delapsa caelo diua potens Cypri,
 Et qui pharetra splendidus, aurea
 Penna Cupido orbem pererrat
 De geminis, gemini & potentes
 Diui, triumphos en geminos agunt,
 Primiq; ponunt in thalamum pedes
 Illa astuante sua myrto,
 Hic face ter metuendus erro.
 Cum queis puella Sacilides nouem,
 Junctaq; trina brachia Gratia
 Thorum pudicum odore lauri
 Virgineæ redolente spargunt.
 Ergo puella iam thalamum subi,
 Finemq; sponso iam propera tuo,
 Matronarumq; virginumq;
 Stultiloqua comitante turba.
 Illa trementi & insolite noui
 Belli tyroni fictitias tibi
 Curasq;, lachrymas, querelas
 Ridiculis monitis leuabunt.

Nec

Nec pertimenti tanta pericula
 Tibi imminere quanta putaueras,
 Sed dulce quiddam, dulciusq;
 Credere quam potis es, docel ut.
 Ite hinc amoris perdere garrula
 Suet & cupiti tempus inutile
 Molesta turba, adest, adest iam
 Tortilibus hederis cupitus
 Sponsus futurus ambitiosior
 Abite, sponsus iam thalamum subit
 Premitq; dexterum & labella
 Et timida & cupida puella.
 Casta o puella pone superstiti-
 osum (atq; adesse tempora iam puta
 Cum voce blandiente dices
 Siccine lente iaces?) pudorem.
 At sponse praceps in Veneris rue
 Certamen, sponsa & verba minantia
 Nec assis astima, ast iniquam
 Mandat inire viam Dione:
 Donec medullis viribus omnibus
 Et voce anibela deficientibus
 Liquoris undas tandem uterq;
 Languiduli varij sudetis.
 Sudate pulchros ut iuuenes decet,
 Non absq; concharum roseis labris

Dulcesq;

*Dulcēsq; sub noctem susurri
 Simplicitis repetantur vlnis:
 Natosq; tandem reddite blandulos
 Florente dulces ordine qui dabunt
 Vobis (leuare olim dolores
 Qui poterunt) senibus nepotes.
 Valet felices ter et amplius
 Tenax tenet quos copula, nec malis
 Diuisus auibus suprema
 Soluat amor citius ruina.*

ELE-

ELEGIÆ TRES EX RYTHMIS
 ITALICIS FRANCISCI PETRARCHÆ

Sou animali &c.

TAm sunt elato nonnulla animalia visis
 Ut solis radios intrepidè aspiciant:
 Sunt & quæ lucem fugiant, atq; egrediendi
 Sera sub obscura tempora noctis ament.
 Sunt quoq; quæ flammæ splendorem stulta sequantur,
 Atq; illic aliquid dulce latere putent,
 Sed miserè: nam quæ delectat lumine flammæ
 Diuerso effectû mox eadem ipsa cremat.
 Ex istis ego sum: nam nec sufferre puella
 Splendorem infirmi sufficiunt oculi.
 Nec vespertini expediunt mihi temporis hora,
 Ne loca turbatus per tenebrosa ferar.
 Fata volunt ergo ut male firmis semper ocellis
 Hanc videam, grato quamuis ab igne cremet.

S'amor non é &c.

ANne amor? at si nō amor est quod sentio quidnam est?
 At si amor est, quid amor? dic mihi qualis amor?
 Si bonus est, quare nemo illo immitior? at si
 Prauus, cur animum dulcis ut esca iuuat?
 Si me ipsum inieci flammis crudelibus, unde
 Mæror, continuis votâq; cum lachrymis?

Q

Si

Si iuuat ipse dolor, quid conqueror? ut minus angar,
 Quis facient lachryma, si mihi poena placet?
 Quis tantum o mors uia potes, si non ego tecum
 Sentio: quis in dulci uiuere dulce malo est?
 At si tormentis se subiicit ipsa uoluntas,
 Quid queror? à me ipso cura petenda uenit.
 Sic ego per dubias uentis pignantibus undas
 In fragili nullo sub duce naue uehor:
 Consiliis uacua, sed onusta erroribus, ut nec
 Quid noceat, nec quid me iuuat, ipse sciam.

Pace non trouo &c.

PAx & amicitia nulla mihi sede parantur,
 Et si bella uelim, non habeo unde geram.
 Et metuo & spero, feruenti congelor astu:
 Sydera summa petens hareo fixus humi.
 Nil teneo, nil possideo, tamen omnia diues
 Amplector mundus qua spatiosus habet.
 Sauius in obscuro me carcere detinet hostis,
 Claudere quem misero quem reserare negat.
 Et cum non cupiat domini me iure tenere,
 Vincla tamen non uult soluere ne fugiam.
 Cum crudelis amor uita priuare iacentem
 Nolit, non tamen is uiuere me patitur.
 Absq; oculis uideo, clamoribus athera rumpo
 Elinguis, claros do sine uoce sonos.

Viuere

Viuere dulce puto, moriendi pascor amore;
 Ut uiuam, ut moriar, quaro frequenter opem.
 Depereo quemcumq; alium, me feruidus odi,
 Rideo flens, lachryma sunt mihi delitia.
 Nec mihi uita placet, nec mors, simul utraq; grata est;
 Neutra placet, sed nec displicet ulla tamen.
 Conditione utor dubia hac o femina per te:
 Tu mihi causa boni, tu mihi causa mali.

F I N I S .



Q 2